BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
F
55
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

101
7
55

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN XII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

NAPOLI

PISIS MDCCLXXXV.

EXCUDEBAT ALOYSIUS RAPHAELLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO FRIDERICO MARGRAVIO BADENSI

ANGELUS FABRONIUS

EA eſt litterarum fortuna, ut cognatione quadam illi copulari videantur, qui easdem aut colunt aut fovent. Utrumque, SERENISSIME PRINCEPS, adeo praeſtas cum omni

Digitized by Google

eo, quod pertinet ad rei publicae adminiſtrationem & ſubditorum Tibi populorum felicitatem, ut in Te, tanquam in clariſſimum lumen, non Germaniae modo, ſed & univerſae Europae conjecti ſint oculi. Veniam itaque a Te mihi facile datum iri confido, quod me Tibi ſiſtere audeam cum dono voluminis de Vitis Italorum doctrina excellentium, quod ut benigne excipias Te etiam atque etiam oro obteſtorque.

Digitized by Google

V I T A E
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

ANGELUS FABRONIUS

CLEMENTI SIBILIATO

S. P. D.

De Morgagnio ſcilicet sic fero, ut debeo: virum bonum & magnum hominem, & in ſumma claritudine multa humanitate temperatum ac utriusque noſtrum amantiſſimum perdidimus. Vivet tamen ipſe ſaeclis innumerabilibus. Namque ei peperere monumentum aere perennius illius ſcripta, de quibus etsi more ſenum frequenter gloriaretur, non propterea iraſcendum ei eſſe putamus. Novimus enim omnes Graecum verſum, quem ſic Latine reddidit Cicero

Suavis laborum eſt praeteritorum memoria.

Equidem vix ferre poſſum ferreos quosdam homines, qui illum ſolum ſapientem eſſe affirmant, qui ſit omnium cupiditatum expers, neque gloria titilletur, neque cupiat poſt mortem celebrari memoriam nominis ſui. Vel meminiſſe nimis imperioſe vetant earum rerum, quas quis laudabiliter antea geſſit, quod omnia ponant in humanarum rerum deſpicientia. Porro quid tanto opus eſſet inſtrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concurſu honeſtiſſimorum ſtudiorum, tanto virtutum comitatu, niſi id conduceret ad laudis cupiditate adoleſcentes inflammandos? Levis eſt animi lucem ſplendoremque fugere; & philoſophi etiam in libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen inſcribunt ſuum, quod in eo ipſo, in quo praedicationem nobilitatemque deſpiciunt, praedicari de ſe ac nominari velint. Nihil ſane deerat Morgagnio ad honorem & gloriam acquirendam; laetabatur tamen, quod ego homunculus commentariolum de ejus vita Latine ſcribendum ſuſcepiſſem, editumque in lucem, ut ſaepe tu mihi narraſti, ferre

in ſinu videbatur. Eſt ſane, quod gaudeam me tanti viri deſiderio ſatisfacere potuiſſe; & quoniam Deus me ei ſuperſtitem eſſe voluit, addam in illud commentariolum nonnulla, quae declarent, quam laudabiliter is vitae curſum confecerit. Non enim veriſimile eſt, cum ceterae partes aetatis bene deſcriptae fuerint, extremum actum tanquam ab inerti poeta fuiſſe neglectum. At domeſticarum quidem ſollicitudinum aculeos omnes & ſcrupulos occultabo, quod ita ſe cupere aliquando mihi ſignificavit; & quia aliquid tetigeram de uxoris dementia, iracunde mihi ſcripſit: quid ad iſtas ineptias abis? Sua cuique calamitas eſt, neque ad levandam meam parum profuit, quod propter nimiam timiditatem violandi vel minimum chriſtiana officia mulier religioſiſſima interdum a mente deſereretur. *Neque idem tulit, ut mentio a me fieret earum rerum, quas ad carpendum opus illius* de ſedibus & cauſſis morborum per anatomen indagatis *protulit Joſephus Lieutaudius. Hic quidem in prooemio* Hiſtoriae anatomico-medicae *more medicorum invidiſſe Morgagnii gloriae videtur, vellicavitque ipſum, quod dum*

omni ex genere orationem aucuparetur. & omnes undique floſculos carperet & delibaret, parum preſſus & nimis redundans extiterit. Perſpicua & dilucida expoſitio in narrandis rebus principem quidem tenere debet locum, & si jure medicus Gallus Italum juvenili quadam licentia interdum ſuperfluentem tum in hiſtoriis exponendis, tum in ſcholiis exarandis reprimere potuit, ſuſpicere tamen illum debebat, maximiſque efferre laudibus, quod cum artem medicam indotatam videret, eam & verborum & infinitarum anatomicarum observationum dote ornavit atque locupletavit. Multi tum prodibant in lucem medici libri, ſed ita inconſiderate, ita impolite ſcripti, ut placere niſi iis non poſſent, qui eamdem licentiam ſibi permitti volebant. At Morgagnius reſpiciens exempla medicorum principis Hippocratis, ceterorumque tum Graecorum, tum Latinorum, qui ab illo manarunt illam perfectam medicinam judicavit, quae de maximis rebus copioſe poſſet ornateque dicere; in quam exercitationem ita ſtudioſe operam dedit, ut elegans & Latina ſit ſemper ejus oratio, & ab ejus ſcriptis medici petere poſſint quidquid in ſtudiis ſuis

*concupiſcunt. Itaque vix opus, de quo loqui-
mur, in vulgus editum eſt, cum ſenuit omnino
laus, quae tribuebatur* Sepulchreto *Theophili
Boneti, & Jacobi Mangeti, in quo nihil ele-
gans, nihil ex ordine collocatum, plura aſper-
ſa hypotheſibus & mendaciis; & in hac confuſa
ac perturbata materie ſiquis vel patientiſſimus
verſari ſibi proponet, nae ille brevi ſatietate &
taedio langueſcere cogetur. Contra ea ut oblecta-
mur, ut rapimur, ut erudimur Morgagnii le-
ctione! Quonam igitur fato noſtro fieri dicemus,
ut Italorum gloriae maxime invideatur a Gallis,
ut ne eos quidem laude dignos arbitrentur, a
quibus multa non modo ſumpſerunt, ſed etiam
ſurripuerunt? Sua licet habuerint vitia vel mo-
res, vel ſcripta Morgagnii (quid enim nos ho-
munculi abſolutum & perfectum, & ut Stoici
dicebant, omnes numeros habens oſtentare poſſu-
mus?) ita tamen meritus ille eſt de medici-
na, de anatome, de humanioribus litteris, ita
juſtus, comis, integer ac religioſus fuit, ut in
ejus monumento illud elogium inſcriptum vel-
lem:* uno ore, cui plurimae conſentiunt gen-
tes, Italorum primarium fuiſſe virum. *Quae*

de illo, quaſi Penelope telam retexens, exaravi, ad te mitto, mi amiciſſime Sibiliate, quod te habere ſoleam aequiſſimum eorum ſtudiorum, quae mihi communia tecum ſunt, exiſtimatorem & judicem. Vale, amicorum ſuaviſſime, & perge diu multigena illa tua rerum pulcherrimarum ſupellectile & extemporali Latinae eloquentiae laude florentiſſimi quovis ſaeculo Athenaei Patavini nomen decuſque augere, cui nuperrime quoque Morgagnius noſter tantum ſplendoris addidit ubertate doctrinae & elegantia dicendi.

Piſis Kal. Martii MDCCLXXII.

Digitized by Google

Joannes Baptista Morgagnius.

Joannes Baptiſta Morgagnius Forolivienſis. Is natus eſt Foro Livii v. Kalend. Martias an. MDCLXXXII. patre Fabricio, matre Maria Torniellia. Septimum aetatis annum nondum abſolverat, cum ejus pater deceſſit; quo factum eſt, ut matris curae concreditus, quae ei omnia, quippe unico, cupiebat, primos illos aetatis annos ita tranſegerit, ut & morbus, quod debebatur, & ſtudiis tribueret. Per haec tempora magnum adiit vitae periculum. Nam cum in canalem lapſus longis fornicibus magna ex parte obtectum aquiſque redundantem, a profluente ſub fornicem raperetur, & jam mergi deberet, cujusdam hominis auxilio ſublatus tantum evaſit periculi. Forte fortuna venerat ad eum locum homo ille; cumque jam puerum praetergreſſus fuiſſet, non illum cadentem vidit, tantum neſcio quid ſtrepitus audivit, ſed non propterea advertit oculos, progreſſusque paullulum viae, ſibi viſus eſt

audire intime monentem, ut retro reſpiceret. Reſpexit, accurrit, & in canalem ſe projecit, ut opem pereunti ferret. Jam a prima aetate magnam de ſe expectationem movit linguas addiſcendo, omnemque illam eruditionem; quae ad humanitatem pertinere videtur; illudque conſecutus eſt, ut, quas ligata ſolutaque oratione in medium proferret, lucubrationes omnibus probarentur. Quod ei contigit etiam dum ſcientiarum ſtadium percurrit, & in iis ſui publice periculum fecit. Qua in re accidit, ut cum Jeſuita quidam argumentum propoſuiſſet, ſimulque diſticon neſcio quod, adoleſcentis laudes complectens, recitaſſet, Morgagnius mira quadam ingenii alacritate diſtico primum, mox argumento reſponderit. Libuit illi theſes ſuas Cardinali Ottobonio dedicare, a quo, ut & ab ejus magno patruo Alexandro VIII. P. M. multa in maternam familiam beneficia atque ornamenta profecta fuerant. Haec quidem fuit prima Morgagnii inſtitutio apud cives ſuos. Poſt id Bononiam venit (agebat tunc decimum & ſextum aetatis annum) ea mente, ut ad cognitionem rerum medicarum

potiſſimum ſe conferret. Qua in facultate cum ibi florerent eo tempore Malpighii auditores, & in iis Jacobus Sandrius, Hippolytus Franciſcus Albertinius & Antonius Maria Valſalva, qui prae ceteris in anatome, ſine qua medicina eſſe non poteſt, excellebat, his ſe inſtituendum dedit. Eodem quoque tempore adoleſcentulus dociliſſimo omnium ingenio aliis diſciplinis erudiebatur, ac brevi ita tenuit philoſophiam ac medicinam, ut cum a praeceptoribus diſceſſiſſet, nemo de iis, qui peritiſſimi habebantur, huic anteponeretur. Philoſophiae ſtudia per hoc tempus renovanda putavit, ut ſatis deſiderio faceret noſcendi recentiorum diſciplinam, quod deſiderium excitavit *Philoſophia Burgundica P. du Hamel*, quae ei, paullo antequam e patria diſcederet, forte ad manus pervenerat. In hoc cum eſſet occupatus, ophthalmia correptus eſt, eaque cum acri ſubinde dolore conjuncta non modo legendi ſcribendique, ſed etiam ſomnum capiendi, niſi palpebris impoſita pulpa tepida pomorum dulcium, facultatem eripiebat. Qua valetudine cum adhuc premeretur, ſua prorſus divina memoria

fretus non dubitavit ſolemne certamen inire (id fuit anno MDCCI.) ut in album Doctorum referretur. Qua re ſummo cum plauſu peracta, in patriam conceſſit, ibique brevi convaluit. Ex quo tempore, ſi ophthalmiam alteram, quae feneſcenti accidit, ſed breviorem, excipias, ad extremam uſque ſenectutem ita bonis uſus eſt oculis, ut adoleſcentiam non requireret. Cumque aliquando interrogatus fuiſſet, qua ratione priſtinum illud robur tamdiu conſervare potuiſſet in tanta atque tam aſſidua oculorum contentione: *non alia*, reſpondit, *quam faciei & palpebrarum lotione matutina ab eo tempore, quo aegrotavi, ſic inſtituta, ut non temere quavis aqua uterer, ſed ea dumtaxat, quae recens e puteo hauſta eſſet*. Cum Bononiam ad ſtudia litterarum rediiſſet Morgagnius, magno adjumento fuit praeceptori ſuo Valſalvae in iis rebus, quas ſcripſit edidìtque in vulgus an. MDCCIV. *de aure humana*. Hic quoque plurimum utebatur Morgagnio in diſſectionibus humani corporis, quas in celeberrimo Bononienſi Gymnaſio publice habebat: idque munus ſolus ipſe ſuſtinuit eo anno, quo idem

Valſalva Parmam accerſitus Bononia aberat. Quibus rebus factum eſt, ut brevi illuſtraretur. Atque hoc in primis erat in adoleſcentulo mirabile, quod praeter laudem rei anatomicae maximam, ita in aliis quoque facultatibus excellebat, ut videretur omnia conſequi poſſe, ſimul ac velle coepiſſet. Sic enim Etruſce ſcribebat, ut appareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Tanta autem erat elegantia ſermonis Latini, ut cum elegantiſſimo quoque ſcriptore poſſet comparari. Noverat & Graecas litteras, attigerat & poeticen, credo quod illius dulcedinis expers eſſe noluerit; praeclare tenebat botanicam & geometriam, quod in iis non parum ad ſua ſtudia praeſidii eſſe putaverat, ob eamdemque cauſſam opticam didicerat, hydraulicam, mechanicam, &, quod miraberis, in aſtronomia ſe exercuerat. Igitur cum haberet ſtudia communia cum multis, eſſetque ſingulari bonitate, moribuſque plane facillimis, & ad omnem rationem humanitatis accommodatiſſimis, ita vivebat Bononiae, ut univerſis civibus merito eſſet cariſſimus. Utebatur autem intime Manfrediis fratribus,

Jacobo Bartholomaeo Beccario, & Joanne Antonio Stancario, hujuſque fratre Victorio, cum quibus duobus poſtremis ipſi neceſſitudo quoque erat contubernii. Has ob cauſſas praecipuus ei honos habitus: creatus eſt enim, cum nondum compleſſet ſecundum & viceſimum aetatis annum, *Princeps Academiae Inquietorum*, in quam fuerat quinquennio ante cooptatus. Qua in poteſtate praeclaras res geſſit. Nam perſuaſit Academicis, ut re ictis inanibus diſputationibus, novam utilemque amplecterentur philoſophandi rationem; noviſque conditis propoſitiſque legibus, has ut omnes probarent effecit. Plura hac de re perſecuti ſumus in vita Euſtachii Manfredii, qui & conditor illius Academiae, & ſocius una cum Victorio Stancario glorioso in labore Morgagnio fuit. Hic vero, ut collegas ad occulta naturae inveſtiganda ſuo exemplo inflammaret, in ſolemni ac publico Academiae conventu, qui habitus eſt anno poſtquam Princeps ipſe fuerat, recitavit quae ei in longa cadaverum ſerie attentiſſime ſpectanti ſe ſe obſervanda obtulerant, & in adverſaria conjecerat. Neque haec communia &

pervulgata, ſed pleraque nova, omnia vero difficillimam cognitionem habentia. Ex quo factum eſt, ut non modo laudem ingenii, ſed etiam admirationem ſit consecutus; nullusque auditorum fuerit, qui eum non ſit hortatus, ut illa in lucem proferret, pollicitus fore & ipſi & Academiae honorificentiſſima. Paruit ille horum conſiliis, edíditque an. MDCCVI. Bononiae librum, quem inſcripſit *Adverſaria Anatomica prima*, inſtituitque ad Euſtachium Manfredium tunc Academiae Principem ceteroſque ſodales. Nihil enim magis laborabat, quam ut in Academiam, cui quidquid erat videbatur referre acceptum, gratiſſimus cognoſceretur. Dividitur opus in partes tres, quarum in priori exponuntur quae ipſe primus omnium aut vidit aut deſcripſit in humani corporis fabrica. Talia ſunt glandulae arytaenoidaeae (neceſſe fuit nova novis rebus imponere nomina) quae de epiglottidis ſoveis, glandula, & lateralibus vinculis, & quae de vinculis quoque labrorum tradit: tum quae de finibus eorum muſculorum, quos hyothyroidaeos vocant, & ſternothyroidaeos, ac de horum

tendineis inſcriptionibus: uvulae, & pharyngis musculi: foramen ſaepius in lingua conſpicuum: duo tenuia corpora non modo in virili, ſed & in muliebri veſica extantia: urethrae foramina & canaliculi peculiares: ſabaceae glandulae in nymphis, in palpebris, in mammarum areolis, & in aliis plurimis partibus: & quae denique de vagina & de valvulis cervicis uteri docuit. In ſecunda vero parte perſequitur illa, quae a graviſſimis anatomicis olim quidem propoſita erant, ſed quae mox vetuſtate ferme obſoleverant, & hujuſmodi ſunt arytaenoidum cum cricoide articulationes, laryngis ventriculi, medium epiglottidis ligamentum, ligamentum penis ſuſpenſorium, & corpuſcula quaedam, quae in aortae & pulmonaris arteriae valvulis viſuntur. Haec reſtituta a Morgagnio ſatis comprobant, quantum acuminis ac diligentiae ipſe conferret ad lectionem veterum ſcriptorum; hoc vero ſpecimen moderati animi & ab inani gloria abhorrentis, quod ſequi noluerit illorum exemplum, qui ſibi tribuere non dubitarunt inventionem earum rerum, quas ab oblivione hominum atque a ſilen-

tio vindicaſſent; id quod, ſi cui facere liceret, ipſi prae ceteris licuiſſet, ut qui res non modo reſtitueret, ſed etiam illuſtraret ac augeret, novis ſubinde propriiſque adjectis circa illas obſervationibus; quod ut in ſecunda libri parte, ſic in tertia quoque facere non omiſit. In hac demum propoſuit quid ipſe obſervaſſet de quibusdam magnorum hominum controverſiis. Primo venit in medium illa, quae poſita eſt in eo, utrum ſanguis fluat per eam anaſtomoſin, quae eſt in fetuum cordibus, de cava in pulmonarem venam, an vero de pulmonari feratur in cavam, ac priorem opinionem comprobat. Hanc ſequitur controverſia de venae umbelicalis in jecur ingreſſu, & de illius ſanguinis per hoc progreſſione, quibus in rebus cum iis facit, qui fuerunt diligentiores. Tertia controverſia eſt, an ad internum humani quoque oculi latus, praeter carunculam lacrimalem, alia glandula, aut ſaltem an ea caruncula pro glandula agnoſcenda ſit, & iis, qui utrumque negant, adſtipulatur. Contra in quarta controverſia, quae in eo verſatur, fiant nec ne oſſeae in ſeneſcentibus laryngis cartilagines,

ſintque medulloſa ſubſtantia refertae, ſententiae eorum, qui utrumque affirmant, adhaeret: inde tranſit ad oſtendendum, quonam loco aſperae arteriae cartilagines deſinant eſſe ſemiannulares, de qua re non adhuc inter anatomicos conveniebat; ut ne illud quidem conveniebat ante Morgagnii obſervationes hoc loci propoſitas, qua magnitudine & ubinam glandulae ejusdem arteriae locatae eſſent. Idem fecit, ut non amplius controverteretur, an una eſſet thyroidaea glandula, quam glandulam peculiari ductu inſtructam eſſe, quamvis non pro certo ſtatuat, probabile tamen eſſe oſtendit. Solvit controverſiam, quae etiam tum vigebat, unde naſcantur muſculi corachyoidaei, demonſtrans ab eo ſcapularum latere, quod coſtam ſuperiorem vocant, initium ſumere. Multa quoque ſolvit de iis muſculis, qui laryngis cartilaginibus proprie ſunt attributi; exponitque quid ipſe obſervaverit de hymene, de ovariis, de tubis Faloppianis, de lacunis foſſae muliebris, de fontibus cujusdam muci ad cervicem uteri occurrentis, ac denique de menſtruo cruore, qua is ex uteri parte fluat, de

de quibus rebus variae erant opiniones atque inter ſe diſſidentes. Haec omnia non multis litteris & parvo omnino volumine continentur. Nos in iis referendis longiores fortaſſe fuimus, quam inſtituti noſtri ratio poſtulat. Sed id ea de cauſſa fecimus, ut facile intelligant lectores, qua ratione in aetatis flore tantam famam collegerit Morgagnius, ut ſatis ſuperque nominis immortalitati mature conſultum ab eo eſſe videretur. Tali modo Bononiae confecto ſtudiorum curriculo, Venetias & Patavium venit ad cognoſcendos doctos homines. Qua profectione magnum accepit vulnus Academia. Vix enim ferre poſſe videbatur abſentiam hominis, qui ipſam prae ceteris exemplo & legibus inſtitutiſque quaſi parens & conditor formaverat. Patavii Morgagnius magnam junxit amicitiam cum Dominico Guglielminio, Venetiis cum Joanne Polenio & Joanne Hieronymo Zanichellio aliiſque multis, quos ſibi mores & optimarum artium ac litterarum ſtudia commendabant. Ibi quoad fuit (non diutius autem quam triginta circiter menſibus fuit) aſſidue aut in diſſectionibus majorum prae-

ſerum piſcium, aut in re chimica, aut in pharmaceutica diligentius cognoſcenda, aut in phyſicis & anatomicis experimentis, aut denique in ſelectorum librorum, quos ſtudioſe comparabat, lectione verſatus eſt. His tot instructus adjumentis, tum demum venit ad medicinam faciendam; hancque in patria exercuit ea felicitate, quae obſervationibus, dum Bononiae degebat, ad aegrotantium lectulos jugiter ac ſolerter habitis responderet. Vel antea quidem cum relaxandi paulliſper animi cauſſa domum ſeceſſiſſet adoleſcentulus, ea de ipſo opinio fuerat ſuorum civium, ut ad ampliſſimi in civitate viri abditum graviſſimumque morbum dignoſcendum, &, ſi fieri poſſet, ex aliqua ſaltem parte levandum advocaretur, quorum utrumque egregie praeſtitit. Nunc vero reverſus in patriam, ibique permanens, dici non poteſt quanto in pretio apud omnes fuerit; & certe aegrotatio paullo difficilior accidebat nulla, quin a ſenioribus ipſis medicis ſibi ſocius optaretur Morgagnius; adeo attentus erat in obſervando, cautus in praedicendo, felix in curando. Quae cum ſine aſſidua ani-

mi contentione & corporis ſatigatione eſſe non poſſent, intelligere primum coepit, ſi ſic porro pergeret, non diutius se eſſe victurum; mox ut erat, ſiquis alius, tum otii inimicus, tum anatomes amator, in memoriam rediit oblatam ſibi, cum Patavii eſſet, a Guglielminio fuiſſe occaſionem ibi permanendi, eamque facultatem excolendi, & poſtea fortaſſe etiam docendi, ſi ex ejus Gymnaſii ſcholis una placeret, quam tunc qui regeret, quaerebatur. Quae amiſſa eſt eo tempore occaſio opportunius rediit, mortuo Guglielminio. Cum enim in hujus locum traducendus eſſet immortalis vir Antonius Vallisnerius, quaeſitum eſt de Morgagnio, an Vallisnerii ſcholam regendam ſuſcepturus eſſet? Quaerentibus cum ob eas, quas diximus, cauſſas non gravate annuiſſet, ab Senatu Veneto iisdem honeſtiſſimis conditionibus, quibus docebat Vallisnerius, ſub finem anni MDCCXI. ad tradendam theoricam medicinam eſt vocatus. Itaque non toto triennio in patria exacto, Patavium conceſſit. Ipſe eo die (is fuit XVI. Kal. Apriles an. MDCCXII.) quo primum ſuggeſtum conſcen-

dit, in magna doctiſſimorum hominum frequentia Latinam habuit orationem, qua formam expreſſit, ſeu potius adumbravit, quarumdam medicarum inſtitutionum, quas animo conceperat. Sicuti enim Cicero & Quintilianus oratorem omni ex parte perfectum inſtituunt, ſic Morgagnius talem informare medicum volebat, cui nihil deeſſet, omnesque, ut ajunt, numeros haberet. Itaque tripartita oratione propoſuit, quae partes eſſe debeant illius, qui ad perfectam medicinae laudem aſpirat, antequam medico praeceptori tradatur, poſtquam erit traditus, & ex quo eidem aegrotantes tradentur. Non hic Morgagnio communia & contrita praecepta exponere erat in animo, ſed ea perſequi, quae ipſe per ſe divino, quo erat ingenio praeditus, & inuſitato quodam mentis acumine viderat atque didicerat, ut non ſatis dolere poſſimus, opus, cujus adumbrata lineamenta perſpicimus, non fuiſſe ab eodem perfectum. Sed hoc illi ignoſcatur volo propter infinitas, quibus omni tempore, ſed hoc praeſertim, diſtentus erat, occupationes. Etenim ei multum erat & laboris & temporis

in erudiendis medicinae ſtudioſis, quod ea ratione praeſtabat, ut docte, erudite, ordinate, diſtincte, Latine atque etiam ornate omnia explicaret. Petierat ab eo Lanciſius, quocum magnam contraxerat amicitiam, ut diligenter deſcriberet quaenam in triginta octo anatomicis tabulis Bartholomaei Euſtachii per hos dies repertis agnosceret quae propria & peculiaria inventa ejusdem Euſtachii dici deberent, fuerint licet ab aliis poſt ipſum prodita. Qua quidem in re ſic amici poſtulationi brevi octo dierum ſpatio ſatisfecit, ut laudem ab eo reportaverit hominis in anatomes hiſtoria omnium peritiſſimi. Sed praeſertim petentibus non ſolum, ſed etiam flagitantibus amicis, qui hoc magni intereſſe dicebant ad decus ejus, in quo docebat, Gymnaſii, ſtudium & curam contulit, ut defenderet *Adverſaria* ſui *anatomica* contra animadverſiones, quas in illa fecerat Joannes Baptiſta Blancus, & Jacobus Mangetus ſuum in *Theatrum anatomicum* retulerat. Grave ac moleſtum fuit homini a contentionibus alieno ac leni mitique animo, in illud e adductum eſſe diſcrimen, ut naturam atque in-

genium ſuum defereret. Et quidem non defenſoris modo, ſed acris etiam accuſatoris perſonam ſuſtinuit in iis quinque *Adverſariis*, quae intra biennium in vulgus edidit. Quae accuſatio cum in eo maxime verſetur, ut coarguat atque corrigat plurimos ac graviſſimos errores, quibus foedantur multorum anatomicorum ſcripta, queis locus datus eſt in hoc *Theatro*, ac praeſertim Verheyenii & Blanci, illud conſecutus eſt Morgagnius, ut haec *Adverſaria* non ſolum utilia, ſed etiam neceſſaria ſint rei anatomicae ſtudioſis, qui eodem *Theatro* uti deſiderant. Iis vero, qui aliquam cupiditatem habent noſcendi novas obſervationes animadverſioneſque ad anatomen quidem praecipue, ſed ſubinde etiam ad chirurgiam ac medicinam ſpectantes, nihil dulcius eſſe poteſt iisdem *Adverſariis*, quae hoc rerum genere mirum in modum abundant. Non eſt autem credibile quam multa Auctor diſſecare debuerit cadavera ad confirmandas a ſe propoſitas obſervationes; nec mediocrem quoque in eo diligentiam adhibuit, ut operi adjungerentur tabulae anatomicae affabre inſculptae, qua in re uſus eſt

praeſertim opera Michaelis Angeli Cavazzonii, Ioannis Baptiſtae Cromerii, & Franciſci Mariae Franciae. Ceterum, vix *ſecundis tertiiſque Adverſariis* inſpectis, taeduit Blancum, vehementerque poenituit, quod Morgagnium offendiſſet, pro qua offenſione illi ſe ſatisfacturum Lanciſio per litteras ſignificavit. Accepit ſatisfactionem Morgagnius, & ſignum mitigati animi erga illum dedit in *Adverſariis*, quae mox in lucem emiſit. Egerat etiam Lanciſius de reſtituendo in gratiam Mangeto, cui oſtendit poſſe rem ad concordiam facile deduci, dummodo ille declararet, non invidia atque obtrectatione laudis Morgagnii, cui ipſe ſemper faverit, ſe ſcripta Blanci ſuum in *Theatrum Anatomicum* intuliſſe, ſed inconſulto atque inconſiderate id feciſſe, factumque ſuum improbare ac deteſtari. Non dubitavit quidem Mangetus ingenue fateri Lanciſio, ſe *animadverſiones Blanci, currente praelo, accepiſſe, ac vix attente perlectas typis commiſiſſe. . . . . opereque jam edito, deprehendiſſe in his nonnulla, quae delicatulis acerbiora videri poterant;* ſed adeo illum pupugerunt *ſecunda & tertia Adverſaria*,

ut ea reſcripſerit, quae reconciliationis deſperationem afferre viderentur. Verum poſtea ſentiens multorum vocibus ſe reprehendi, quod talem virum offendiſſet, neque offenſum placare ſtuduiſſet, de reconcilianda gratia cogitare coepit. Verebatur quoque ne peccatum ſuum a Morgagnio ſeverius in aliis, quae paraverat, *Adverſariis* puniretur. Quibus rebus factum eſt, ut ei ſe purgaverit per litteras a Joanne Fantonio ſcriptas, utens excuſatione negligentiae, quo majoris criminis, illatae ſcilicet injuriae, ſuſpicionem averteret. Qua excuſatione & amici precibus commotus Morgagnius, multa, quae acrius ſcripſerat, obliteravit in edendis *Adverſariis*. Sic bellum acerbum, quod inter Morgagnium, Blancum & Mangetum exortum fuerat, ſedatum eſſe videbatur. At non multos poſt annos Blancus rurſus Morgagnium ad arma compulit. Nam cum ſecundo typis committeret librum a ſe conſcriptum de *Hiſtoria Hepatica*, in hoc non ſolum veteres refricavit controverſias, ſed novas etiam exſuſcitavit, non videns hac re plurimum violari exiſtimationem ſuam. Nam fidem Lan-

ciſio dederat, nihil ſe unquam commiſſurum, quod hominibus ſuſpicionem ficte reconciliatae gratiae movere poſſet. Nec modo inſidi, ſed etiam ingrati animi accuſationem timere debebat Blancus, cum eſſet Morgagnio recenti beneficio obſtrictus. Quapropter minime reprehendi debet Morgagnius, ſi quid ab eo paullo ſeverius vindicatum eſt, cum de hac inſtaurata controverſia binas ſane longas ad amicum ſcripſiſſet epiſtolas, de quibus vere dictum fuit, nihil defendere, quod non evidenter probent, nihil oppugnare, quod non plane evertant. Profecto magna habenda eſt gratia Blanco & Mangeto, quod has epiſtolas, quaeque eis ſocia damus *Adverſaria anatomica*, a Morgagnio extorſerint, in quibus tanta doctrina, tot inventa, tanta in omni re anatomica eruditio apparet, ut idoneus certe judex Albertus Hallerus non dubitaverit pronuntiare, nihil habere anatomen, quod cum illis operibus conferri poſſit. Ruyſchius quoque, Boerhaavius, Heiſterus, Winslowius, Schroekius, Hoffmannus, Vatherus, Meadius, Goelichius, Walterus, Senacus, Cockburnius, Guntzius, Mechelius

aliique (tranſalpinos teſtes adhibeo , ne qua gratiae ſuſpicio ſit) haec eadem opera laudibus ad caelum extulerunt, & ex iis in ſua ſcripta multa tranſtulerunt ornamenta . Atque in his libris conficiendis dum elaborabat Morgagnius , nihilo minus officia ſua praeſtabat aut ſtudioſae juventuti , quae domum ejus , tanquam officinam ſapientiae , frequentabat ; aut amicis , qui judicium conſiliumque ſuum ſaepe exquirebant cum in iis , quae ad eruditionem , tum in iis praeſertim , quae ad rem medicam ceteraſque phyſicas facultates pertinent ; aut Germanis , qui Patavii dant operam philoſophiae , medicinae atque rerum divinarum ſcientiae , cum eorum patronus anno MDCCXV. delectus fuerit . His perſuaſit , ut ſibi aedem emerent , in qua eorum bibliotheca tutius in omne tempus ſervaretur , & conventus haberentur , in quibus illi tractare ſolent de iis rebus , quas inter ſe communes habent . Qua empta , haec in ingreſſu iidem inſcripſerunt : *Inclyta natio Germanica DD Artistarum , adjuvante liberaliſſimo Protectore Cel. viro Joann. Bapt. Morgagno P. P. P. has ſibi emit ae-*

des &c. Sic cum Morgagnius magno in honore Patavii viveret, electus eſt a Senatu Veneto, ineunte Octobre ejusdem anni MDCCXV. ad tradendam in Academia anatomen. Non eſt praetereunda illius modeſtia hoc loco. Nam quamvis ſuam ingrederetur provinciam, plurimum tamen ſe vereri dicebat, quidnam pro dignitate loci & expectatione omnium afferre poſſet, praeſertim cum cogitaret Andream Veſalium, Realdum Columbum, Gabrielem Faloppium, Hieronymum Fabricium, Julium Caſſerium, Adrianum Spigelium, Joannem Veslingium, alioſque praeſtantiſſimos anatomicos, qui in hac ſede fuerunt. Erat quidem inanis timor. Omnes enim jam tum in illud conſentiebant elogium, adeo Morgagnium excellere anatome, ut nemo eſſet non ſolum hujus aetatis, ſed etiam de majoribus natu, qui ei anteponi poſſet. Quod judicium non minus oratione, quam factis comprobavit Senatus. Nam cum ei ſatis amplum quingenorum aureorum ſtipendium decreviſſet, illud primum raro exemplo ad octingentos, poſtea rariſſimo ad bis millenos, ſingulari demum atque unico

ad ducentos ſupra bis mil'enos perduxit. Sed maximum, quod Morgagnio dari potuit praemium, fuit incredibilis clamor & plauſus, quo ille in exedra collocatus fuit. Cujus rei cum ſtatim fama emanaſſet, magna undique ei facta eſt gratulatio: & pro ſua eximia in litteras & litteratos homines vo'untate Summus quoque Pontifex Clemens XI. hujus diei celebritatem eidem gratulatus eſt. Quam porro Morgagnius in docendo viam ſecutus fuerit, ut magnam ſui expectationem ſuſtineret, ex his intelligi poteſt. Ab ſimilaribus, ut vocant, partibus explicandis, ſive ab anatomes elementis docendi initium ſumebat, utens in iis ſyntetica methodo, quam omnium eſſe aptiſſimam utiliſſimamque in hac tradenda facultate ſcite a Rojolano dictum eſt. Explicationem vero elementorum analytica ſequebatur deſcriptio compoſitarum omnium partium. Non habebat paratum quid quaque de re diceret: dicebat tamen copioſe, varie, perſpicue eleganterque, cum haberet divinam memoriam rerum & verborum. Magnopere ei curae erat, ut quidquid docebat non tam auribus committeret, quam

in oculis conſpeſtuque auditorum ſuorum, adhibita diligentiſſima praeparatione, exponeret. . Veniebant autem ad eum audiendum non ſolum magna ſtudioſorum adoleſcentium frequentia, ſed etiam multi aetate provecti & doctrina ornatiſſimi viri; ac nemo fere ab illo diſcedebat, quin aliquid novi edidiciſſet. Non parum ſudare debuit Morgagnius primis hujus ſui muneris annis, ut hominem informaret ad bene diligenterque anatomicas oſtenſiones adminiſtrandas; ſicque Joannem Baptiſtam Vulpium ad incidendorum cadaverum officium inſtituit, ut nemo fortaſſe eſſet, qui cum illo comparari poſſet. Accidit aliquando, ut cum hic aniculae cadaver aperiret, quo adſtans Morgagnius oſtenderet auditoribus ſuis ſingulorum viſcerum ſedem: etsi plus ſolito illud nequaquam male oleret, neque ullum in eodem praeter implicationem inteſtinorum vitium appareret, ſubitus tamen languor Morgagnium oppreſſerit, non ſecus ac ſi deliquium inſtaret. Revocatis paullulum viribus, cum uterque domum e theatro anatomico rediiſſent, ad eumdem modum, eodemque tempore, febri

correpti fuerunt, quae ſic Morgagnium male habuit, ut niſi aliquot poſt annos priſtinam valetudinem recuperare minime potuerit. Non propterea tamen in eo languit induſtria. Nam eodem, quo antea, ſtudio commodis diſcipulorum domi, in noſocomio atque in theatro inſervivit, ac nihil unquam, ſi paucos excipias aeſtivos menſes, quibus in patria fuit, remiſit de labore, quem in anatomicis praeſertim ſcriptionibus ſolitus erat impendere. Etenim, quod mireris, magna pars *Adverſariorum* in hac corporis infirmitate ab eo confecta eſt. Eodem quoque tempore amice per litteras cum Lanciſio diſputavit de genere mortis Cleopatrae, multaque in his litteris, ſane elegantibus atque eruditis, attulit huic convenientia ſententiae, quam ipſe tenebat, quamque minus veroſimilem eſſe arbitramur, Cleopatram aſpidis morſu periiſſe adverſos eos, qui veneno ore capto ſublatam contendebant. Scripſit & alia multa conſequentibus temporibus, quae eum praeſtantem philologum oſtendunt. Majore enim ſtudio humanioribus litteris deditus fuit, quam qui illum non adhuc bene noverant arbitra-

bantur ; nec vero in puerili ſolum , ſed etiam in adulta , & in ſenili aetate , cum nullum putaret melius a Deo ſibi datum munus ad oblectandum otium , animumque relaxandum a graviſſimis majorum doctrinarum occupationibus. Itaque rogatu Joannis Baptiſtae Vulpii, qui nobilem editionem parabat medicorum operum A. Cornelii Celſi, & Q. Sereni Samonici, ſub finem an. MDCCXX. & intra proximum quatuor exaravit epiſtolas, quarum tres Celſum attingunt, quarta Samonicum. In iis prioribus diligenter perſequitur aetatem , qua auctor ille floruit, ſtudia & ſcripta ejusdem ; haud pauca ipſius loca difficilia illuſtrat, ac multa, quae erant depravata , reſtituit : quaedam indicat verba , quae removenda (& ſane remota fuerunt) exiſtimabat a Latinis lexicis, in quibus ſub mentito Celsi nomine locum obtinuerant: indicat & alia, quae ſunt profecto Celsi , ſed quae in iisdem lexicis non facile reperias. In quarta epiſtola examinat quid praeſtiterint Aſulanus , Caeſarius, Humelbergius , & Kenuchenius tum in emendando , tum in illuſtrando Samonici poemate *de Medicina*, iiſ-

que lumen (ſaepe enim magnis in tenebris verſati ſunt) de ſuo lumine accendit; qua occaſione multa in medium profert, quae pertinent ad illius ſcriptoris vitam declarandam. Hanc epiſtolam undetriginta poſt annos ſecuta eſt altera, quae explicat quale judicium fecerit Petrus Burmannus de priori epiſtola, & quale Morgagnius ipſe faciat de opera, quam idem Burmannus in hunc medicum ſcriptorem contulit, cum illum an. MDCCXXXI. Lugduni Batavorum edidit minores inter poetas Latinos. Explicat etiam quid ſit id, de quo auctor a Burmanno diſſentiat, qua diſſenſione ſane modeſta, & qualis homines doctos decet, magis magiſque Samonicus illuſtratur. Eodem ferme tempore dedit Morgagnius tribus ſuperioribus in Celſum epiſtolis quinque alias comites, ut eſſet unde ad illa, quae notaverat de hoc auctore, ejuſque ſcriptis, corollarium adderetur, & unde plurima Celſi ſtudioſi ſumere poſſent, quibus depravata ab Almeloveenio & Lindenio corrigerent, & a quibus magis ad cognitionem intelligentiamque ejusdem ſcriptoris ducerentur. Has decem epiſtolas ſcripſit Morgagnius

ad

ad Joannem Baptiſtam Vulpium ; dedicavit vero Laurentio Heiſtero , cum inter ſe & hunc virum propter excellentem utriuſque in anatome doctrinam magna intercederet amicitia. Neque is de Celſo ſolum & Samonico optime meritus eſt. Nam quatuor ſcriptis epiſtolis (id fuit annis MDCCXXI. & MDCCXXIII.) ad Jacobum Facciolatum una, reliquis ad amantiſſimum & eruditiſſimum in primis inter tot alios diſcipulos ſuos Julium Pontederam, his vitioſa multa, quae ſunt in rei ruſticae Latinis auctoribus atque praeſertim Columella & Vegetio, emendavit, & loca nonnulla obſcura bono in lumine collocavit, omnibus oſtendens, quanta affflueret eruditionis copia, quantumque in eo eſſet ingenii acumen atque Latinae linguae ſcientia. Ex quo factum eſt, ut ejus ſententia ſaepe exquireretur in hoc rerum genere ab eruditis amicis, quibus ille facile poterat ſatisfacere, praeſertim cum recurreret ad copiolas ſuas. Sic enim vir, qui famae laudem modeſtiae addere cupiebat, appellabat theſauros illos ſuos, in quibus admirabilem vim eruditionis tum Graecae, tum Latinae, tum

Italicae reconditam habebat. Sunt in manibus hominum, quae, poſtulante Joanne Polenio, quo neminem nec amiciorem, nec jucundiorem, nec cariorem habebat, ſcripſit tum ad eumdem Polenium, tum ad Petrum Pluvenium e S. J. de ordinario Frontini conſulatu, id habens ratum, quod Noriſius olim judicaverat, ſcilicet anno Aere Chriſtianae C. Frontinum, non Frontonem, ut aliqui putabant, Trajani III. Conſulis Collegam ordinarium fuiſſe; quanquam idem Noriſius, non ſatis quidem probabilibus impulſus conjecturis ac rationibus, hanc ſuam ſententiam poſtea deſeruit pro Frontone pronuntians. Extant etiam quae diſſeruit de Proſpero Alpino, de Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino; nec non ad memoratum Polenium epiſtolae tres, quarum altera eſt de quadam particula libri IV. M. Varronis *de lingua Latina* in veterem Frontini codicem relata, quam particulam ſic explicat Morgagnius, ut Romanae antiquitatis ſe peritum oſtendat; altera eſt de Vitruvii loco, ex quo in dubium verti poteſt, utrum ſcriptor hic Auguſti aevo vixerit; tertia demum emendat & explicat alium ejuſ-

dem ſcriptoris locum ad rem medicam ſpectantem. Sed quam antiquitatis amator fuerit Morgagnius, & quam diligenter habuerit cognitam, ex iis praeſertim intelligi poteſt epiſtolis, quas *Aemilianas* inſcripſit. Expoſuit in iis plurima ſcitu digniſſima de fluminibus Aemiliae, atque in primis de iis, quae propter Ravennam fluunt; ſicque perſecutus eſt monumenta nonnullarum urbium atque oppidorum, quae ab his fluminibus alluuntur, ut ea, qui legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum locorum. Sed maxime ea in veritatis lucem protulit, quae Forum Livii patriam ejus illuſtrant, notans unde, & quo tempore orta, qui fuerit ejus ſtatus & dignitas, pluribus verbis oſtendens quanto credibilius ſit Gallum poetam, cujus de vita multa in apertum profert, ſuum civem fuiſſe, & haud pauca recenſens de Flavio Blondo, de Hieronymo Mercuriali, de Jacobo a Turre, aliisque viris illuſtribus Foroliviensibus. Neque ſejungere debemus ab operibus, quae Morgagnius manſuetioribus muſis ſcripſit, vitas Dominici Guglielminii & Antonii Mariae Valſalvae, quibus non modo

Digitized by Google

laudem diligentis elegantiſque ſcriptoris conſecutus eſt, ſed etiam hominis benevolentiſſimi. Quos enim vivos omni officio ac potius pietate coluerat, mortuos monumentis litterarum ornare voluit. Sed praeſertim lumen ingenii ſui, gratumque ac pium animum oſtendit in iis, quae de Valſalva ſcripsit. Eo enim praeceptore, ut initio docuimus, uſus fuerat. Itaque non ſolum fecit, ut ejus vita pleniſſima eſſet illarum rerum, quae ad illam declarandam pertinerent, ſed etiam duodeviginti exaravit epiſtolas, quae mirabiliter ejusdem viri opera illuſtrant. Harum epiſtolarum undecim attingunt *Tractatum de aure humana*, reliquae *Diſſertationes*. In iis vero ſic omnia perſcripta ſunt de obſervationibus animadverſionibuſque habitis ab ipſo Valſalva, Morgagnio, aliiſque doctis viris, quibus aut exornantur, aut confirmantur, aut corriguntur res, quae in memoratis Valſalvae operibus continentur, ut nihil non appareat, & facile exiſtimari poſſit ſingulari ſtudio atque intelligentia fuiſſe Morgagnium in omni re anatomica. In hoc quoque magnopere is laudandus eſt, quod non ſe tenuit,

quin aliquando contra ſuum doctorem (quanquam ſemper aliquam, & quidem probabilem, dedit errato illius excuſationem) diſſeruerit. Videbat enim homini in inquiſitione veri unice occupato nihil tam eſſe adverſarium, quam ad alicujus, quamvis ſapientiſſimi, auctoritatem ita ſe conferre, ut integra non eſſet judicandi poteſtas. Quapropter minime eſt mirandum, ſi nunquam gravate tulit, quod aliquis ſententiam probaverit, quam ipſe non ſequeretur; & ſi in omni diſſenſione non vincere maluit, quam vinci, dummodo verum inveniretur. Qui autem ſcire cupiat, quantum ab illo laboris ac temporis poſitum fuerit in perlegendis, conferendis, ſeligendiſque Valsalvae chartis, quarum magnum numerum ille reliquerat, quantum in volutandis omnibus pene alicujus nominis anatomicorum libris, ut ex eorum fontibus hauriret, quae aliqua ratione poſſent illuſtrare res, de quibus aut egerat, aut commemoraverat Valſalva, quantum in obſervationibus habendis, cum ſoleret ex anatome proferre nihil, quod non propriis oculis atque ſaepius perſpectum habuiſſet, quantum deni-

que in omni re propoſita diligenter perpendenda exponendiſque judiciis ſuis, legat ea, quae idem praefatus eſt de his anatomicis epiſtolis. Praeter has ſcripsit etiam epiſtolam ad amiciſſimum ſuum Franciſcum Mariam Zanottum, quae epitomen complectitur trium, quas Valſalva in Bonenienſi *Inſtituti Scientiarum* Academia habuerat, Diſſertationum, eaque legitur primo in volumine Commentariorum ejusdem Academiae. Editis jam his epiſtolis, cum Morgagnius colligendi ſui, vitandique aeſtivi caloris cauſſa rus ſe contuliſſet, veniſſetque eodem egregiae indolis adoleſcens, & cum aliis ſtudiis, tum praeſertim medicinae deditiſſimus, multum inter ſe collocuti ſunt de rebus ad illam facultatem pertinentibus. Quo quidem in ſermone multa praeclara a Morgagnio commemorata ſunt de vera medendi ratione, deque ſua non modo, ſed etiam praeceptorum ſuorum Valſalvae & Albertini hac in re conſuetudine. Quae inter cum caſu mentio incidiſſet operis Theophili Bonetti, quod inſcribitur *Sepulchretum*, quodque continet diſſectiones eorum, quos morbi de medio abſtulerunt,

plurimis ex auctoribus collectas, rogatus eſt ut aperiret, quodnam eſſet de hoc opere judicium ſuum. Affirmavit ille opus quidem utilitate maximum ſuſcepiſſe Bonettum, ſed non ſatis diligentiae ad illud conficiendum contuliſſe: quapropter eum praeclare acturum, qui hoc ſibi ſumeret, ut multa, quae in illo deficiunt, ſuppleret, non pauca redundantia reſecaret, & accuratius atque exquiſitius ſeligeret ac referret obſervationes, quae ad ſingulos morbos pertinerent, notans quid certum, quid incertum, & ſi quid minus recte a ſcriptoribus eſſet expoſitum. Tum adoleſcens: non ſum, inquit, neſcius, te aliquid ſimile cogitaſſe, & in commentariolo de Valſalvae vita promiſiſſe te facturum, ut ejus plurimae huc ſpectantes obſervationes in lucem prodirent. Quid igitur differs rem dignam uſu & iſta ſingulari doctrina tua? Facile ſe exorari ſivit Morgagnius, credo, quod videbat ſe in ſuo regno verſari debere. Itaque vix Patavium rediit, cum ſtudium ſuum ad hanc rem admovit; confectiſque aliquot Latinis epiſtolis, has ad amicum miſit. Ex hoc autem cognoſci potuit quam placue-

rint, quod ille non prius rogare deſtitit Morgagnium, ut his epiſtolis alias comites daret, quam ſeptuaginta obtinuerit, quodque easdem Auctori, ut recenſere poſſet, petenti, non antea remiſerit, quam idem Auctor ſancte pollicitus eſſet, nihil ſe eſſe detracturum, ac brevi eas editurum. Quod & fecit. Inſcribitur opus *de ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis*, idque in libros quinque dividitur, quorum in priori agitur de morbis capitis, in ſecundo de morbis thoracis, in tertio de morbis ventris, in quarto de morbis ad chirurgiam aut ad univerſum corpus ſpectantibus, in quinto autem ea comprehenduntur, quae ad ſingulos quatuor priores libros addenda videbantur. Multas ex veterum & recentiorum ſcriptis huc ſpectantes collegerat Morgagnius obſervationes, multas ipſe a Valſalva acceperat, multo plures in hujus ineditis ſcriptis notatas repererat, plurimas vero per ſe infinito ſtudio ac diligentia totis ſexaginta annis habuerat, eaſque omnes in hujus operis confectionem contulit. Quod ego opus ſi cum ſummo medico Jacobo Bartholomaeo Beccario ampliſſimum

interioris medicae doctrinae theſaurum appellem, minus quam debeam praedicem. Vere enim mihi videor poſſe contendere, illud unum omnium medicorum bibliothecas ſuperare, ſi quis noſcere velit, quibus in corporis partibus morbi ſedem ac domicilium habeant, quaeque ſint horum morborum cauſſae ac notae; quae quidem cognitio tantae utilitatis eſt in medicina facienda, ut non videam quo alio modo haec facultas poſſit habere quasdam errare in medendo non patientes vias. Unde illud apud Ciceronem III. in libro Tuſculanarum Quaeſtionum: *Medici cauſſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putant*. His aliiſque libris, quas Morgagnius medicinae & anatomiae conſecravit, propoſitum illi maxime fuit, ut deerrantes medicos quaſi domum deduceret. Nam, ut paucas res exempli cauſſa ponamus, adhuc diſputabatur vel in celebrioribus Academiis, quid in corporibus humanis efficerent quatuor illa humidum, ſiccum, calidum & frigidum, num *cordis humilitas hepatis ſiccitatem vincere poſſet*, num *calidum agens in frigidum denigraret*, *agens vero in ſiccum dealbaret*; con-

tra *frigidum agens in humidum dealbaret*, *in ſiccum vero denigraret*. Quae dum inquirebantur, pauca revocabant homines ad experientiam artemque anatomicam, cujus amore ut omnes accenderet, ejuſque utilitas magis magisque appareret, Morgagnius nonnulla longius, quam nunc fieri ſoleat, in opere, de quo ſcribimus, proſecutus eſt. De quo opere ſatis dictum erit, ſi hoc unum addam, quatuor annorum ſpatio ter illud, quamvis non mole exiguum, typis impreſſum fuiſſe, quod eſt indicium quam magno plauſu medicinae cultores idem exceperint, quantaque inde facta fuerit acceſſio ad Morgagnii gloriam, ſi tamen haec augeri potuit. Jam enim maximi viri uno ore conſenſerant, penes illum principatum anatomes eſſe, e quibus nominaſſe ſufficiat Joannem Albertum Korffum, Joannem Bernoullium, Fridericum Ruyſchium, Joannem Saltzmannum, Laurentium Heiſterum, atque Petrum Senacum. Haec propria Morgagnii: illa vero cum paucis communia, quod celeberrimae Europae Academiae, quae ad excolendas reconditiores doctrinas ſunt inſtitutae, Germanica Naturae Curioſorum,

Londinenſis, Pariſienſis, Petropolitana, & Berolinenſis illum ſuum fecerint eo tempore, quo illi minime in mentem venerat tale quicquam non dicam petere, ſed ne ſuſpicari quidem. Quem honorem alio quoque auxerunt. Nam ſaepe ei praeconium ſuis in Actis impertivere hominis in primis docti. Cum tanto eſſet Morgagnius in pretio apud externos homines, fieri non poterat, ut illum minoris facerent Itali ſui. Itaque nulla apud hos extat alicujus nominis Academia, in quam ille honorificentiſſimis decretis cooptatus non fuerit; nullum floret Gymnaſium, quod ejus ſcriptis maximam non tribuat in rebus phyſicis auctoritatem, iiſque plurimum non utatur in erudiendis harum rerum ſtudioſis adoleſcentibus; nulla inter hos exorta eſt aut controverſia, aut dubitatio de re anatomica, de qua idem, tanquam oraculum, haud fuerit conſultus. Multa ſunt illuſtria facta ejus patriae, ut oſtenderet de tanto cive ſe maxime gloriari. In primis quod in publicis aedibus marmoream ejusdem effigiem ſane ſimilem poſuit, hoc circum eam ſcripto epigrammate.

Hic eſt, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus in humani corporis hiſtoria.

Infra autem haec exculpta eſt inſcriptio.

JO. BAPT. MORGAGNIO NOB. FOROL.
PATRIA
INVENTIS LIBRISQ. EIVS PROBATISSIMIS
VBICVMQVE GENTIVM ILLVSTRATA
DECREVIT A. D. MDCCLXIII.
PONENDAM IN CELEBERRIMO HOC LOCO
MARMOREAM EFFIGIEM
ADHVC VIVENTIS.

Quanta autem dignitate viveret Patavii, haec ſunt indicia. Ejus ſchola ac domus floruit ſemper nobilitate ac frequentia diſcipulorum, nec unquam praelectiones oſtenſionesve habuit anatomicas, quin magnus ad eum omnium ordinum omniumque aetatum fieret concurſus. Nemo mediocriter eruditus in hanc civitatem veniebat, qui Morgagnium videre, adire, alloqui praetermitteret; nemo vero ab ipſo unquam diſceſſit, qui non parem ejus virtutibus ac doctrinae laudem tri-

buendam eſſe judicaverit. Quae ſi in privatis glorioſa ſunt, quanto magis commemorabuntur in Regibus? Quare non jucunda ſolum, ſed etiam admirabilis ei viſa eſt benignitas Joſephi II. Caeſaris, qui cum primum Patavium venit, deberi hoc a ſe tanti hominis ingenio putavit, ut ei gratularetur longaevam vitam, quae multis aegris ſaluti, & Academiae Patavinae honori fuerat. Quanquam, ut ſupra demonſtratum eſt, illud ei a Veneto Senatu pro munere docendi decretum fuit ſtipendium, quod nemini unquam, non propterea tamen timere debuit reliquorum Doctorum aut offenſionem, aut invidiam, cum inter hos nullus eſſet, qui ejus gloriae plurimum non faveret. Quintum Praeſes Collegii Veneti Gymnaſtici fuit, quae poteſtas, quanquam legibus cautum ſit, ne ultra triennium duret, ſemel tamen ei ad ſeptennium prorogata eſt. Jure igitur is dicebat ſe in ſummi beneficii loco ponere, quod in ea civitate natus eſſet, a qua, quae dari maxima poterant, accepiſſet ornamenta, quodque docendi cauſſa in eam ſe contuliſſet civitatem, quae cum humani-

tate, & doctrina praeſtaret omnes, ſic ei erat carus, ut non magnopere patriam deſideraret. Ex quo factum eſt, ut licet magnis praemiis invitatus fuiſſet ad docendum in aliis, iiſque celeberrimis, tum intra, tum extra Italiam Gymnaſiis, ire ſemper recuſaverit. Hoc quoque ad tanti viri laudem illuſtre fuit, quod Laurentius Heiſterus, Georgius Daniel Coſchowitzius, Albertus Hallerus, e noſtratibus vero Joſephus Antonius Pujatus, Franciſcus Maria Zanottus, Joan. Verardus Zevianus, aliique maximae doctrinae homines quosdam e multis, quos ediderunt, libris, ejus nuncuparunt nomini. In tanta celebritate famae Principibus quoque viris minime placere non poterat Morgagnius; quam quidem non ultimam eſſe laudum vere ab Horatio dictum eſt. Itaque magnam aſſecutus eſt gratiam Caroli Ruzzinii, Aloyſii Piſanii, Petri Grimanii, Franciſci Lauretani, Marci Foſcarinii, & Aloyſii Mauroceni, qui omnes ſummum locum in Venetorum Republica tenuerunt. Foſcarinius autem ſummis etiam laudibus celebravit Morgagnium in eo, quod edidit, opere *de Veneta Litteratura*. Ca-

rolus VI. Auguſtus de re quadam medica per litteras ab archiatro ſuo Garellio ſcriptas illum conſuluit; cumque aliquando ejus exercitus in Aemilia hyemaret, Ducibus praecepit, darent operam, ne quis domui familiaeque Morgagnii molèſtus eſſet. Fecit hoc idem Carolus Emmanuel III. Sardiniae Rex; iſque cum ſemel & iterum per Forum Livii iter habuiſſet eo tempore, quo ibi feriatus commorabatur Morgagnius, hunc humaniſſime excepit, & ad plures horas cum eo collocutus eſt. A Summis Pontificibus Clemente XI. Benedicto XIV. & Clemente XIII. magnas tulit exiſtimationis atque voluntatis ſignificationes, ac jure in eo praeſertim gloriabatur, quod Benedictus ſuo in opere *de Beatificatione Servorum Dei* teſtimonium tribuerit ampliſſimum illius doctrinae; quodque Clemens XIII. litteras ad eum dederit honorificentiſſimas humaniſſimaſque, quibus ſignificabat pergratum ſibi fuiſſe munus illius operum, quibuſque ei non tam vim doctrinae admirabilem, quam pietatem in Deum, ceteraſque virtutes gratulabatur. Quod teſtimonium graviſſimum reputari debet, quia a ſummae

dignitatis Principe proficiſcebatur, cui notiſſima erat vita Morgagnii. Quo enim tempore ſacris Patavinis ſanctiſſime praefuit, ejus ſaepe conſilio in curanda valetudine uſus eſt, eidemque ſuas ſemper patere voluit aedes. Ego quoque aliquando ea praedicari audivi ab eodem Summo Pontifice de Morgagnii doctrina, modeſtia, comitate, humanitate, in Deum hominesque caritate, in amicos fide, in ſuos ſtudio ac diligentia, ut nihil glorioſius ac magnificentius praedicari potuerit; addiditque, illud non mediocre eſſe verae laudis argumentum, quod is nunquam timere debuit hominum invidiam. Si hominibus optime de ſe meritis gratum ſe praebuit Morgagnius, non effugit tamen vituperationem levitatis, quod nihil tam cupiebat quam de ſe magnifica praedicari, ſua efferri, ut nec modum nec ſatietatem laudum habere videretur. Cum plurimum auctoritate, & gratia valeret, has libentiſſime ad aliorum, atque praeſertim amicorum, commodum ac praeſidium libentiſſime conferebat. Atque in beneficiis tribuendis ſe illa nolle foenerari oſtendebat, cum tamdiu meminiſſet, quoad ille

gratus

gratus erat, qui acceperat: percepta vero a ſe immortali retinebat memoria; quod ſaepe declaravit, & maxime in homine, cujus ope e periculo vitae ereptus eſt, quod ob lapſum in canalem quemdam, ut initio narravimus, ſubiit in pueritia. Hujus enim egeſtatem ſuis ſumptibus ſuſtentavit, mortem deflevit, memoriam grata recordatione proſecutus eſt. Multum ſemper vigilavit ac laboravit; & provinciam docendi ad extremam uſque ſenectutem ita ſuſtinuit, ut de ſe praedicare potuerit illud Virgilianum:

.... Nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Vixit ad aliorum utilitatem, & magnam ſe Deo habere gratiam dicebat, quod ſiverit ſe in ea praeſertim ſcientia elaborare, quae hominibus plurimum prodeſſet, & quae ad ipſius Dei cognitionem una omnium maxime duceret. Nihil in eo fictum & ſimulatum unquam apparuit. Ut autem erat decoris amantiſſimus, aequalitatem univerſae vitae ſingularumque actionum mirabiliter ſervavit. Quemadmodum

in vita, ſic in medicina quae eſſent ſimplicia amavit; & qui ſaepe ceteros venae ſectione curavit, nunquam tamen hoc remedii genus ſibi adhiberi paſſus eſt, credo quod naturaliter illud horreret. Conſuevit etiam in quibusdam capitis morbis ſanguinem ex occipitio mittere, cujus curationis, quae jamdiu fieri deſierat, tanquam reſtitutor ab Hofmanno, Walterio, aliiſque merito laudatur. Duxit uxorem Paullam Vergeriam civem ſuam, nobili genere natam, cum qua vixit conjunctiſſime, & ex qua quindecim ſuſcepit liberos. Inter hos tres virilis ſexus fuerunt, quorum natu maximus matrimonio ſe ſe junxit cum nobili femina Maria Serughia. Deceſſit autem an. MDCCLXVI. patri relinquens non ſolum peracerbum ſui deſiderium, ſed etiam nepotum curam, quam mira alacritate & providentia ſuſtinuit. Filiorum alter mortem obivit in pueritia, alter Societati Jeſu nomen dedit. Filiarum vero quatuor occiderunt in cunis, reliquae ſe ſe Deo virgines voverunt. Fuit Morgagnius ſtatura magna & venuſta figura, hilari & laeto vultu, fulvis capillis, oculis caeruleis, & ad ſummam ſe-

nectutem uſus eſt ſenſibus & valetudine optima. Ad hanc autem conſervandam plurimum conduxiſſe putavit, quod ſimplici victu veſtituque ſemper delectatus eſt, quod non facile tempus variavit ſumendi cibum dormiendique, quodque ſibi ab intemperie caeli cavit. Hactenus Morgagnio vivo edita a nobis ſunt, ex quibus intelligi poſſe puto, fuiſſe hominem excellenti virtute & doctrina, nec mediocrem per eum factam fuiſſe acceſſionem Italiae gloriae. Quoniam vero Deus ſuperſtites nos illi eſſe voluit, reliqua perſequemur, quae ad ejus mortem ſpectant, in qua obeunda modice illum tetigiſſe viſa ſunt futurae vitae pericula. Magna eſt enim vis conſcientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui a Chriſtianis officiis non declinarunt, & poenam ante oculos verſari putent, qui illa violarunt. Repente ſtomachi doloribus oppreſſus. non. Decembris an. MDCCLXXI. hora noctis v., in poſterum diem vitam cum morte commutavit. Conſuluerat antea nepotibus, cum iis magnam & luculentam hereditatem, quae ſummam confeciſſe dicitur centum & amplius millia centuſſium,

teſtamento legaſſet. Sibi & providit, facto ſepulcro in aede ad S. Maximi, in quo haec inſcripſit:

SEPVLCRVM MORGAGNI ANATOMICI
ET SVORVM
ITEM GYMNASII PATAV. PROFESSORVM
SI QVEM VNQVAM HIC CONDI IVVERIT
MDCCLXX.

Si cui videbitur de ſe glorioſius praedicaſſe, quod anatomici nomen ſibi tribuerit, nec ſatis liberaliter in collegas ſe ſe geſſiſſe, quod iis tantummodo locum ſepulturae reliquerit, non vehementer repugnabo. At non ſevere judicandum eſt de viro, qui licet gloriam & divitias concupivit, ſe tamen integrum caſtumque ſemper ſervavit, & qui perpetua quadam uſus felicitate omne longiſſimae aetatis ſuae tempus in erudiendo ſui ſimiles eorumque ſaluti conſulendo conſumpſit.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Opera omnia Morgagnii in quinque Tomos in fol. diviſa Baſſani edi curavit an. 1765. *Antonius Larber ejusdem Morgagnii diſcipulus. Nos in iis recenſendis ordinem ſervabimus, in quem Auctor eadem maluit eſſe diſpoſita.*

Tom. I. Adverſaria anatomica omnia. *Horum* Prima *edita ſunt Bononiae* 1706. *typis Piſauri in* 4. *magno, poſtea Lugduni Batavorum* 1714. *apud Wishoff in* 8., *& Patavii* 1719. *apud Cominum in* 4. *& Lugduni Batavorum* 1723. *apud Langerak in* 4., *& rurſus apud eundem* 1741. *in* 4 Altera & Tertia *impreſſa fuere Patavii apud Cominum* 1717 *in* 4 *& Lugduni Batavorum apud Langerak* 1723., *& rurſus* 1741. *in* 4. Quarta *denique*, Quinta, & Sexta *impreſſa fuere Patavii* 1719. *apud Cominum in* 4. *& Lugduni Batavorum* 1723. *apud Langerak, & rurſus* 1741. *in* 4.

Tom II. Epiſtolae anatomicae XX.; *quarum priores duae prodierunt Lugduni Batavorum apud Joan. a Kerkhem in* 4. *reliquae impreſſae fuerunt cum Valſalvae operibus Venetiis* 1740 *typis Pitteri in* 4. *Tom. II. & deinde* 1741. *apud eundem in* 4. *minori tom.* 1.

Tom III. IV. De ſedibus & cauſſis morborum per anatomen indagatis Libri quinque. *An* 1761 *ex Typographia Remondiniana Baſſani primum prodierunt*

an. deinde 1762. *recuſi fuerunt Neapoli ſumptibus Dominici Terres in* 4.

Tom. V. Miſcellanea opuſcula tres in partes diviſa. *In I. Parte continentur, quae ad rem medicam anatomicam ſpectant, eaque ſunt.*

---- Nova inſtitutionum medicarum idea *Patavii edita apud Coronam in* 4. *magno, & Lugduni Batavorum apud Langerak in* 4. 1740, *& cum Adverſariis conjuncta* 1741.

---- De via atque ordine in tradenda publice medicina atque anatome Epiſtola ad Antonium Larber Archiatrum Baſſanenſem.

---- Prooemia quaedam anatomicarum Praelectionum.

---- De anatomicis Euſtachii tabulis Epiſtola ad Joannem Mariam Lanciſium. *Edita haec epiſtola a Lanciſio fuit cum iisdem Tabulis Euſtachianis Romae* 1714. *apud Gonzagam, & Genevae* 1717. *cum Theatro Anatomico Mangeti apud Cramer & Perachon; & rurſus Romae* 1728. *ſumptibus Pagliarinorum in fol.*

---- De glandulis Epiſtola ad Petrum Antonium Michelottum. *Edita ab hoc fuit in ſuo* de Separatione fluidorum libro: *Venetiis* 1721. *apud Pinellos in* 4.

---- De lacrymalibus ductibus eorumque obſtructione Epiſtola ad Dominicum Anelium, *qui illam edidit in libro, cui titulus:* Suite de la nouvelle methode de guerir les fiſtules &c. *Taurini* 1714. *apud Mairaſſe in* 4.

---- De lumbricis Epiſtola ad Antonium Valliſne-

rium, *a quo edita fuit in ſuo libro, qui inſcribitur:* Conſiderazioni intorno alla generazione de' vermi: *Patavii* 1711. *typis Seminarii in* 4. *& recuſa inter illius opera: Venetiis* 1733. *apud Coletum in fol.*

.... De acu intra veſicam intruſa, & de excreſcentia membranae adipoſae Epiſtola ad Lucam Schroeckium: *habetur* in Centuria V. Ephemeridum Caeſareae N. C. Academiae: *Norimbergae* 1717. *typis Heinii*.

.... De calculis felleis Epiſtola ad eumdem, *eaque relata eſt in II. Vol. Actorum ejusdem Academiae. Ibid.* 1720. *typis Adelbulneri*.

.... De venae cavae varicibus epiſtola ad Antonium Caeleſtinum Cocchium, *qui ei locum dedit inter ſuas epiſtolas phyſico-medicas, Romae* 1725. *apud Antonium de Rubeis in* 4.

.... De veſicae calculis a Fratre Jacobo Beaulieu Patavii exſectis, & de caſu Corneliae Bandiae Epiſtola ad Salvatorem Morandum.

.... In locum Vitruvii medicum epiſtola ad Joan. Polenum. *Extat in Exercitationibus Vitruvianis ſecundis Poleni* 1739. *Patavii typis Seminarii in fol.*

.... De iis, quae Valsalva in Bononienſi Academia Inſtituti Scientiarum recitata fuerant, Epiſtola ad Franciſcum Mariam Zanottum. *Extat in Tom. I. Commentariorum de eodem illo Inſtituto. Bononiae* 1731. in 4.

.... Experimenta circa aquam calcis vivae. *Habentur in cit. volumine.*

.... Reſponſum medico-legale circa obſtetricum judicium de mulieris virginitate. *Romae* 1739. *typis Rev. Cam. Apoſtol.* in 4.

.... Reſponſum medico-legale alterum ſuper ſeminis emittendi impotentia.

.... Reſponſum medico-legale tertium, an poſt ſeptem a conceptione menſes infans naſci poſſit vitalis & perfectus?

.... In A. Corn. Celſum, & Q. Serenum Samonicum epiſtolae X. *Harum primae quatuor Patavii prodierunt* 1721. *apud Cominum in* 8., *& Hagae Comitum* 1724. *apud Alberts in* 4. *& rurſus apud Cominum cum Celſo* 1722.: *omnes autem tum ſolae, tum ſimul cum Celſo apud eumdem Cominum* 1750.

In II. Parte continentur quae ad Philologiam pertingent, eaque ſunt.

.... De Proſpero Alpino epiſtolae duae ad Hieronymum Davidem Gaubium.

.... De Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino Epiſtola ad Joannem Aſtruc, *a quo edita fuerat in Tom. II. editionis ſecundae ſuorum de morbis venereis librorum Pariſiis* 1740. *in* 4.

.... De vita & ſcriptis Dominici Guglielmini commentariolum. *Extat in Centuria IV. Ephemeridum Caeſareae N. C. Academiae Norimbergae* 1715. *typis Adelbulneri, in operibus Guglielminii editis Genevae apud Cramer & Perachon an.* 1719. *in* 4 *in Bibliotheca Scriptorum Medicorum Mangeti Genevae apud*

eusdem in fol., & in Decade I. Vitarum Italorum doctrina excellentium, qui Saeculo XVIII. floruerant, Romae apud Komareckium 1766. in 8.

.... De vita & ſcriptis Antonii Mariae Valſalvae commentariolum *editum cum hujus operibus Venetiis* 1740. & 1741. in 4. *& in memorata Decade Vitarum Italorum &c.*

.... De genere mortis Cleopatrae Epiſtolae duae ad Joannem Mariam Lanciſium, *qui eas vulgavit in appendice ad Mercati Metallothecam Vaticanam, Romae* 1719. *typis Salvionis in fol.*

.... De ordinario Frontini conſulatu Epiſtolae duae, *quarum prima eſt ad Joannem Polenum, qui eam vulgavit cum Frontino de Aquaeductibus* 1722. *Patavii typis Seminarii in* 4. *altera eſt ad Petrum Pluvenium S. J.*

.... De quadam librorum M. Varronis particula, ut legitur in veteri codice, Epiſtola ad Joannem Polenum. *Extat in Tom. IV.* della Raccolta di opuſcoli ſcientifici e filologici. Venezia 1730. appreſſo Criſtoforo Zane in 12.

.... in Vitruvii locum ad tempus, quo is ſcripſit attinentem, & in alterum veteris Auctoris compendii Architecturae epiſtola ad eumdem Polenum.

.... Laudationes a Morgagnio habitae olim, cum Gymnaſiarchas, alioſve Doctoris inſignibus exornaret.

.... In Scriptores Rei Ruſticae Epiſtolae IV.

quarum unam dedit ad Jacobum Facciolatum, reliquas ad Julium Pontederam. *Editae fuerunt Lipſiae cum iisdem Scriptoribus Tom. II.* 1735 *ſumptibus Fritſchii in* 4.

In III. parte continentur Epiſtolae XIV. hiſtorico-criticae, Aemilianae dictae, non modo quia pleraeque olim ſcriptae fuerant in Aemilia, ſed & quia omnes ad antiquitates, & geographiam attinent partis non modicae illius Provinciae.

Epiſtola ad Joannem Mariam Lanciſium de vena ſine pari. *Extat in opere cui titulus*: Joannis Mariae Lanciſii &c de motu cordis & aneuryſmatibus Romae 1745. ex Typographia Palladis apud Fratres Palearinos in 4.

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO GENNARIO

S. P. D.

Recte quidem dicitur Philoſophia mater omnium benefactorum beneque dictorum, quam qui tenent, divina quadam mente & conſilio praediti eſſe videntur. Quanta vero eſt oblectatio animi, quantum levamentum miſeriarum in illa ediſcenda! At veteres quidem philoſophi in beatorum inſulis fingebant, qualis natura eſſet vita Sapientum, quos cura omni liberatos nullum neceſſarium vitae cultum aut paratum requirentes, nil aliud eſſe acturos putabant, niſi ut omne tempus in quaerendo atque in naturae cognitione conſumerent. Sunt autem perſpicua indicia naturae, ut appetat ſemper animus aliquid veri noſcere; & cernere poſſumus in primis puerorum aetatulis iſtam naturae voluptatem, cum ii ſemper aliquid exquirant, & animo & corpore moveantur ad res percipiendas; quae cupiditas adoleſcit una cum aetatibus. Dubitare ergo non

poſſumus ad verum noſcendum nos eſſe natos, cujus veri genera plura ſunt, ut obſcurentur etiam minora majoribus. Maximum autem eſt conſideratio cognitioque Dei rerumque caeleſtium, quid illi, quid hominibus, quid nobis ipſis debeamus, quid ſit in homine praeſtantiſſimum atque optimum, quid acceperimus tanquam elementa virtutum, quomodo id, quod natura inchoavit, arte atque labore perficere poſſimus, ſic ut omnia vivendi agendique conſilia, omnis felicitas, omnis honos, omnis admiratio, omne ſtudium ad virtutem, & ad eas actiones, quae virtuti ſunt conſentaneae, referatur. His, quae divina ducimus, quod a Deo ſint, & per illa ad Deum propius accedamus, proxima ſunt, quae ad phyſicam pertinent, quibus plerique nunc gloriari ſolent, & in quibus quaerendis explicandiſque illos libentiſſime aetates conterere videmus, quod & glorioſum ſit a natura occultatas res & latentes indagare, quodque id ad vitae commoditatem & ad ipſius naturae ſapientiſſimum Auctorem magis magiſque noſcendum maxime conducat. Et ſane quis eſt tam vecors, qui cum aut in caelum ſuſpexerit, multitudinemque corporum caeleſtium & leges, quibus illa moventur, aut pulchritudi-

nem mundi, admirabilemque infinitarum rerum ordinem, vim & naturam contemplatus fuerit, Deum non eſſe ſentiat, ab eo omnia manare debuiſſe, hunc moderari, hunc regere omne id, in quo vivimus, movemur & ſumus, & hanc aeternam infinitamque naturam ſuſpiciendam, admirandam, & pie ſancteque colendam? Nemo ſanus a phyſica ſejunget mathematicas diſciplinas, quae ei mirabilis utilitatis fructum praebere ſolent, quaeque ex aeterna veritate manaſſe videntur. Iis qui bene uti noverint, de rerum initiis omnique mundo ita loquentur, ut multa non probabili ſolum argumentatione, ſed etiam neceſſaria ratione concludant, maximamque materiam ex rebus per ſe inveſtigatis ad rerum occultarum cognitionem afferent. Miror equidem Romanos, qui cum omnis praeclarae artis Graecorum non ſolum aemuli, ſed etiam, ut Plinii verbo utar, rapaciſſimi eſſent, neque ignorarent apud hos nihil mathematicis illuſtrius, & in ſummo honore habitam ſemper fuiſſe geometriam, hujus diſciplinae metiendi ratiocinandique utilitate terminaſſe modum, nec vidiſſe quanta ſit illius facultas & vis in difficillimis enodandis naturalibus quaeſtionibus. Nequaquam in eum locum, in quo

nunc eſt, progreſſa fuiſſet aſtronomia ſine geometriae ope, per quam complicatiorem notionem aſſequi potuit diſtantiarum & motuum planetarum, & vocare ad calculum vires, quibus hi motus aut cientur, aut retardantur. Neque minorem utilitatem afferunt mathematicae diſciplinae terreſtrium corporum ſcientiae. Quanquam haec in primis exigat, ut, omiſſis incertis & fallacibus hypothesibus, judicium electioque fiat plurium phenomenorum, ut haec inter ſe comparentur, & ad unum veluti caput, ex quo alia pendeant, redigantur, ea tamen eſt poteſtas matheseos, ut ex unica obſervatione aut experientia multa ſaepe vera inferre poſſit. Tali modo extitere dioptrica, catoptrica, hydrodinamica, motus & pendulorum ſcientia, aliaeque plures, de quibus minime nunc neceſſe eſt dicere. Quantum voluptatis ſit in his ſtudiis, quae ad veritatem ita ducunt, ut nihil iis ſit evidentius, ex uno Archimede noſcere poſſumus, qui dum in pulvere quaedam deſcribebat attentius, ne patriam quidem captam eſſe ſenſit. Ad eam partem philoſophiae, quae bene vivendi praecepta continet, referri ſolent ea, quae non ſolum ad vitae privatae rationem, ſed etiam ad rerum publicarum rectionem pertinent;

& laudare eos ſolemus, qui omnium fere civitatum mores, inſtituta, diſciplinas perpendunt, qui docent, quae ſint optimae leges, qui optimus reipublicae ſtatus, qualem in republica Principem eſſe conveniat, quae ſint in ea inclinationes rerum & momenta temporum, quomodo iis ſit moderandum, & per quae hominum felicitas aut comparetur aut conſervetur. Qui litibus & jurgiis ſuſtentantur, & non ex aequo & bono, ſed ex callido verſutoque jure judicant, & rationes omnes contemnentes auctoritate pugnant, philoſophi nomen haud merentur; nec introduci vera juris prudentia ullo modo poterit, niſi omnia, quae ſtatuet ad ſummam illam veritatem ſummamque legem, id eſt Deum, exigantur. Saepe mecum quaeſivi num ii, qui nunquam intermittunt ſtudia antiquitatis, nec ullum fugiunt laborem, ut inveſtigent & explicent qui fuerint priſcorum mores, facta, ritus, ceremoniae, leges atque artes, egeant philoſophia; & ex multis, quae noſtra hac praeſertim aetate hujus generis prodierunt, praeclariſſimis operibus facile eſt intelligere, inane ac leve hoc fore ſtudium, niſi ſibi quaerat praeſidia atque adjumenta ab illa omnium laudandarum artium procreatrice & quaſi parente. Ex cogni-

tione & ſcientia rerum utiliſſimarum ortae ſunt artes, quae docent inventa non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam atque judicio diſponere atque diſpenſare, claris & electis verbis illuſtrare & diſtinguere orationem, quibus artibus nihil eſt ſane praeſtabilius, nihil quod latius pateat, nihil quod magis alliciat homines ad diſcendum. Ex his rebus univerſis philoſophia conſtat, & ſi in ſingulis elaborare permagnum eſt, quanto majus erit univerſas tenere, ut idem ſit & doctrinis multis excultus & eruditus, & ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus? Multos ſane habuit Italia hujus generis homines, qui effecerunt, ut ejus gloria, quae perverſitate & malitia nocentum exaruerat, revireſceret. Poſtquam Galileus, quem philoſophorum principem libenter dixerim, illud veſtrum Patavinum Gymnaſium voce ſua illuſtrius fecit, invitavitque homines ad ſumendas ex ſcriptis ſuis tum omnem doctrinam liberalem, tum omnem elegantem orationem, plures excellentes phyſici, mathematici, muſici, medici extitere, qui, tanquam ex praeclara omnium artium officina, ex hac ipſa Academia prodierunt. Nunc etiam uſuvenit (nam acrius & attentius de claris viris locorum admonitu cogi-

tare

Digitized by Google

tare ſolemus) ut multi moveantur illa exedra, in qua ſummus homo ſedit, ad imitanda ejusdem facta, atque iter conficiendum, quod ipſe tanta cum nominis ſui gloria patefecit. Diſcuſſa eſt caligo, diluxit, patet, videmus omnia; & barbara Scholaſticorum philoſophia nunc latere cogitur in tenebris alicujus coenobii. Ex iis, qui Galilei exemplum ſecuti frugiferam & fructuoſam philoſophiam amplexi ſunt, nec ullam ejus partem incultam eſſe ſivere, maxima ſane lau Joanni Polenio tribuitur, cujus vitam declaraturus haec praefanda putavi, non ut te erudirem, qui omnium es eruditiſſimus, & qui de Polenio ipſo, in cujus nomine acquieſcis, non pauca Pariſinorum Academicorum rogatu ſcripſiſti, ſed ut ſub uno aſpectu ponerem & multa & varia, in quibus cum illi excellere contigiſſet, in ejus mente philoſophia ipsa ineſſe videbatur. Vale.

Piſis XII. Kal. Apriles MDCCLXXXV.

JOANNES POLENIUS.

JOannes Polenius natus eſt Venetiis x. kal. Septembres an. MDCLXXXIII. patre Jacobo, matre Eliſabetha Brojuolia, Venetis civibus. Leopoldus Caeſar, cum praemio vellet afficere virtutem Jacobi, hujuſque patrui Poleniorum, qui contra Turcas in Hungaria ſtrenue militarunt, Marchionis & Comitis titulis honeſtiſſima familia condecorata *, ſe auxiſſe, non dediſſe generis ornamenta declaravit. Haec & majorum exempla Joanni fuerunt quidam ſtimuli induſtriae atque laboris, qui poſtquam litterarum elementis domi imbutus fuit, ad Somaſcos venit, qui

* Diploma Caeſareum datum eſt III. non. Junias an. 1685. confirmatum vero a Senatu Veneto IV. kal. Sextiles an. 1686. Commemoratur in eo quanta cum virtute Joſephus Polenius ſe geſſerit, quando Vindobona dira obſidione a Turcis premebatur. Priusquam Jacobus in Italiam rediret, multorum vidit mores & urbes, ſingularibuſque honoribus a Ludovico XIV. Galliarum Rege affectus fuit.

Collegium, ut vocant, Salutis regebant, a quibus non in ſtudiis ſolum humanitatis, ſed etiam philoſophiae & theologiae diligenter exercitus eſt. Hunc ita inſtitutum, eaque docilitate ingenii, ut ad omnes res aptus videretur, pater foro deſtinaverat, ut quam plurimum lucri faceret; ſed Joannes, vix a limine ſalutata juris prudentia, ſuae magis quam alienae voluntati paruit, totumque ſe mathematicis diſciplinis dedidit. Tum quidem ſibi ipſi placere coepit, cum videret in his ſtudiis ſe non ſolum excurrere, ſed etiam evolare, quanquam illum pater, qui de recentiſſimorum mathematicorum praeclaris inventis aliquid audierat, aſſidue moneret, ut animo rei magnitudinem complecteretur, neque iis aut praeceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus tum fere omnes utebantur, ſed aliis quibusdam ſe id, quod expetebat, conſequi poſſe confideret. Elaboravit etiam in architectura civili & militari addiſcenda, ſeque in graphice aliiſque in artibus libero homine dignis exercuit. Erat & propenſiſſimus ad phyſica; & cum illi in manibus eſſe ſolerent opera Jeſuitae Chaleſii,

brevi intellexit, ſibi aliud iter inſtituendum, ut ad veritatem propius ac tutius accederet. Coepit ergo omnia revocare ad experientiam, ejuſque domus ſchola quaedam experimentalis, ut appellant, phyſicae facta eſſe videbatur. His vero experimentis de rebus naturalibus cum ſaepe intereſſet Jo. Baptiſta Morgagnius, orta inter eos eſt amicitia jucundiſſima, quae poſtea maxime illuſtris fuit, quaeque per omnes aetatis gradus uſque ad ſummam ſenectutem permanſit. Erat enim virtute & ſtudiorum ſimilitudine, firmiſſimis animorum vinculis, juncta atque conſtituta. Interea a patre ad ducendam uxorem nobilem & lectiſſimam puellam Urſulam Robertiam Baſſanenſem ſollicitatur, quod quanquam detrimentum allaturum intelligeret ſtudiis ſuis, quae incredibili ardore colebat, ne tamen aut durus, aut inhumanus videretur, ceſſit ejusdem voluntati. Id accidit exeunte anno MDCCVIII. paucis menſibus antequam ad aſtronomiam & meteora explicanda in Academia Patavina vocaretur. Ut graviſſimum, quod de ejus doctrina judicium fecerant Veneti Senatores, comprobaret, in lucem

hominum emiſit opus, quod *Miſcellanea* inſcripſit, propterea quia minime in una re verſabatur. Agit in principio de barometris & thermometris a ſe machinae pneumaticae ope confectis; neque rationem ſolum eorumdem conficiendorum docet, ſed etiam illa omnia perſequitur, quae de his inſtrumentis ceteri phyſici ac praeſertim Joannes Bernoullius & Amontonſius tradiderant. Cum obſervaſſet ſcintillam emicare in barometro, ſi aeris bulla quaedam forte in illud penetret, hujus phaenomeni cauſſam aſſequi ſe poſſe putavit. Fugit illum fortaſſe decennio fere ante Bernoullium & Leibnitium multa inter ſe de luminoſo barometro communicaſſe *; neque vero mirum videri debet quidquid ii omnes ad phaenomenum explicandum attulerunt abeſſe a vero, quod iis temporibus electricitatis vis & effectus plane ignorarentur. Poſt id machinam arithmeticam a ſe excogitatam deſcripſit. Neminem latet quantum numerorum ars non modo ad mathematicas & phyſicas diſciplinas, verum etiam ad vitae

* Vide illorum *Commercium epiſtolicum*.

Digitized by Google

utilitatem conducat. Sed quanti interdum laboris eſt ſubducere calculos implicatos & longos, & quam facile ex animi laſſitudine in errorem inducimur! Ad haec declinanda incommoda Blaſius Paſcalius omnium primus vehementiſſima contentione ingenii machinam invenit, quae ſola oculorum & manuum ope facile atque tuto omnia poſſet vocare ad calculum, eaque adeo placuit Leibnitio, ut de illa perficienda expeditiorique habenda ſtatim cogitaverit. Ut relatum de illorum inventis ad Polenium fuit, tentare voluit quid ipſe quoque poſſet, & cum ſuperiorum ſe aequaſſe gloriam exiſtimaſſet, opuſculum de machina arithmetica edidit; poſtea hanc ipſam confregit, cum audiiſſet Brawinii magni nominis mechanici feliciores hac in re fuiſſe conatus. Claudit Miſcellaneorum librum diſſertatio de ſectionibus conicis parallelorum in horologiis ſolaribus, quae docet quomodo in planis horologiorum ſpecies, vertex, axis, & perameter ſectionum conicarum determinetur, quae itineribus Solis definiendis inſerviunt. Sed ut majorum vigiliarum opus extaret, quod magis magiſque ſuam in aſtronomicis

rebus doctrinam declararet, dialogum de vorticibus caeleſtibus an. MDCCXII. typis commiſit, quem exorditur ab expoſitione earum rerum, quas feliciter Galileus, Keplerus, Carteſius & Newtonus invenerant: nam ante horum aetatem phyſicae caeleſtis veſtigia ac prope incunabula vix reperiuntur. Non horum modo, ſed & ceterorum illuſtriorum aſtronomorum inventa de illo duce & principe & moderatore luminum reliquorum Sole, de cursibus Jovis, Veneris, Mercurii, Martis, & praeſertim Saturni, de ſecundariis planetis, qui illorum quosdam ſequuntur ut comites, de ſtellis fixis, de cometis, de luna, quomodo omnes ferantur in Solem, & ab eo repellantur, qua ratione tanti motus incitentur, quaque via peragantur, & quomodo motu aetheris, qui primarios planetas ambit, motus minorum ciantur, ita explicat Polenius, ut Carteſii ſectatorem facile agnoſcas. Sed in ſuis exponendis ſententiis ajebat, ſe dum inquirebat quid in quaque re verum ſincerumque ſibi videretur, nolle cogere aliorum judicia, ſed invitare omnes, multorum inter ſe collatis opinionibus, ad

veroſimiliores amplectendas. In extremo libri affert ſeriem infinitam numerorum, ut ajunt, irrationabilium, qui differentiam exprimunt omnium poligonorum regularium circulo inſcriptorum: hac ratione illorum aream, ut ita dicam, exhaurit per methodum e quadratura lunularum Hippocratis ductam. Aliqua poſtea huic dialogo Polenium addidiſſe, deque illo iterum imprimendo cogitaſſe ſcimus, quod ſi non perfecit, poſtquam mira Newtoni inventa tot confirmata obſervationibus de Carteſianis hypotheſibus omnino triumpharunt, faciles nos habebit ad ignoſcendum. Neque majoris momenti, ut arbitror, illa ſunt habenda, quae diſſeruit de acceleratione & retardatione, quam gravia corpora, dum deſcendunt, patiuntur, ſi annuus terrae ponatur motus: nam licet haec ingenii acumen declarent, quod nihil tamen addidiſſe phyſicae videntur, multis haud exponenda putamus. Acuebant illum ad argumenta phyſica pertractanda non tam ſtudium in praeclariſſimam ſcientiam, quam diſcipulorum voces, quod an. MDCCXV. ab aſtronomiae & meteororum cathedra ad nobiliorem philoſophiae tra-

ductus fuerat. Venetus enim Senatus in eam benignitatis conſuetudinem venerat, ut qui munus ſuum praeclare geſſiſſent, novis honoris gradibus, noviſque ſtipendiis afficerentur. Nemo ſane iis temporibus majori cum opinione doctrinae phyſica docuit, quam Polenius, qui, ut probaret omnibus quam arcte inter ſe phyſicae & mathematicae res conjunctae eſſent, in ipſo ingreſſu muneris Latinam orationem dixit, ediditque de phyſices in rebus mathematicis utilitate. In eo praeſertim verſatur oratio, ut exemplis magis, quam argumentis probet matheſin, ut loquuntur, puram a phyſica ſic adjuvari, ut per eam maxime illuſtrior, amplior, utilior evadat; illam vero, quam dicimus mixtam, ab ea ſic pendere, ut ſine phyſica nulla ſit, quod dum conficit Polenius, ſe litterate peritum oſtendit omnium illarum rerum, quae tantam gloriam recentioribus mathematicis atque phyſicis peperere. Videre jam licet hominem, qui hos aemulari cupiebat, conſtantia in quaerendo, ſagacitate in obſervando, induſtria in experiendo, perſpicacia in comparando, ut proprietates operum vel ſolius naturae, vel etiam

naturae ab arte adjutae omnino aſſequeretur. Qui labor vitaeque ratio cum late dimanaſſet ad aeſtimationem hominum commendatione ac judicio maxime Jacobi Hermanni, & qui huic in munere docendi Patavii mathematicas diſciplinas ſucceſſit, Nicolai Bernoullii, omnia ſumma a Polenio Triumviri Academiae Patavinae ſibi polliceri videbantur. Ad haec ſtudia non mediocri illi erat adjumento quotidana conſuetudo & familiaritas eorumdem ſummorum virorum (majorem etiam conjunctionem fecit cum Bernoullio victus communis) neque eorumdem gloriae ipſum invidiſſe ex eo conjici poteſt, quod nihil non egerit de iisdem Patavii retinendis. Sed nemo ignorat quam vehemens ſit in Helvetiis patriae amor, ut ab ea divelli diutius minime patiantur. Diſceſſu itaque Bernoullii Polenius ad mathematicas diſciplinas tradendas vocatus eſt ſtipendio florenorum aureorum DC. additis inſuper argenteis Venetis C. ad formas cudendas, quibus in geometria explicanda uteretur. Tum alteram orationem edidit de matheſis in rebus phyſicis utilitate, quae licet ſuppeditaret majorem argumento-

rum ſegetem atque materiem, rerum tamen copia ſuperiori concedit, niſi dicere velimus multa, quae ad hanc pertinebant, in priori jam Polenium praeoccupaviſſe. Utraque magis ſententiis gravibus & ſeveris, quam concinnis & venuſtis commendatur. Quanquam ipſe defunctus jam eſſet aſtronomi munere, non elanguit tamen in eo ſtudium caeleſtia contemplandi, quod & firmum & ſtabile ad vitae uſque finem, tanquam pabulum jucundiſſimum animi atque ingenii, in eodem permanſit. Si obſervationes quasdam eclipſium tum ſolis, tum lunae tranſitusque Mercurii ſuper Solem * excipias, nihil his de rebus edidit; multa tamen ſeposuerat tum per ſe, tum per alios (nam commercium ei erat litterarum cum celebrioribus aſtronomis) obſervata, quae in vulgus emittere meditabatur. Res enim ſpectabant in aſtronomia graviſſimas, videlicet ut certius ſtatueretur per eclipſes ſatellitum Jovis tempus, quo lux a ſole

* Hae legi poſſunt in libro, cui titulum fecit: *Faſciculus mathemat. epiſtolarum*, editoque Patavii an. 1729.

ad nos uſque dimanat, utque cometarum omnium itinera atque curſus per elipticum orbem, & quas ab attrahentibus corporibus pati poterant, morae definirentur. Exemplum ſumebat ab omnium celeberrimo cometa, qui apparuit anno MDCLXXXII., cujus curſus LXV. circiter annorum spatio peragitur, quique idcirco apparuiſſe videbatur, ut multorum aſtronomorum gloriae inſerviret. Non mediocriter quoque elaboravit in definiendis latitudinibus & longitudinibus plurium Italicarum urbium *, ut ex multis, quas hac de re reliquit ſcriptis, cognoſci poſſit de perficienda charta topographica univerſae Italiae illum cogitaſſe. Mos erat Polenio, dum obſervationes caeleſtes habebat, mentem alere in exquirendis cauſſis quorumdam phaenome-

* Extat in vol. IV. *delle Oſſervazioni Letterarie*, quae Veronae a Maffejo edebantur, Diſſertatio Polenii de longitudine & latitudine Patavii. Cum Claricius chartam topographicam Patavinae Dioeceſis juſſu Georgii Cornelii Cardinalis, qui illam gubernabat, conficiendam ſuſcepiſſet, plurima a Polenio obtinuit, quae ad hanc rem maxime conducebant.

norum, diſputavitque aliquando amice cum Philippo a Turre Epiſcopo Adrienſi, cur in eclipsibus Solis obſcuratio minor appareat, quam revera, ſi partium obtectarum amplitudo ſpectetur, eſſe deberet. Tribuit id radiis lucis, qui in oculum ea ratione agunt, qua in ipſo recipiuntur. Statuit enim fibrillarum tenſiones non omnino quantitati ſolarium radiorum reſpondere, ſed aliis etiam ex cauſſis eſſe. Hinc autem conſequitur, ut ſi anima tantummodo ex illis tenſionibus de radiorum quantitate ac lucis copia judicium ferat, judicium illud errore involvatur. Ita ſi quamplurimi extinguantur radii, ſed eadem in oculo tenſio ſit, eventurum dicit, ut fere eadem radiorum quantitas appareat. Cum id minus probaret Philippus, occaſionem inde ſumpſit ſcribendi opuſculum doctum sane atque eruditum, eique reſpondens Polenius videtur ſibi iraſci, quod per ſe non excogitaverit hujus rei cauſſam rejiciendam in illam oculorum proprietatem, qua in copioſiori luce illorum pupilla contrahitur, in minori diducitur. Hac ipſa de re ſcripsit poſtea copioſius ad

Meranium *, ſuitque doctiorum ſententia fibras oculi non parum in eam rem conferre, nec mediocre fuiſſe modeſtiae Polenii argumentum, quod alienae tantum tribuerit ſententiae, ut ſuam plane deſeruiſſe appareret. Quanquam in phyſicis & mathematicis diſciplinis excolendis trahi & duci in primis videretur Polenius ad cognitionis & ſcientiae cupiditatem, nunquam tamen animo deponebat univerſorum hominum utilitatem, quam nobis in omni actione proponendam in primis eſſe dicebat. Cui officio ſic ſatisfecit, ut nemo ſit, quin illum optime de Provincia, de Imperio Veneto, de civibus, deque univerſa Italia meritum eſſe arbitretur. Vel maxime id praeſtitit aquarum ſcientiam profitendo, quae tota noſtra eſt, ſive inventionem, ſive perfectionem, ſive neceſſitatem, quae illi cauſſam dedit, ſpectemus. Principio opus

* Epiſtola data eſt an. 1753. & in ea praeter experimenta, quae ſpectant ad majorem vel minorem pupillae dilatationem, continentur multa, quae ſolidorum corporum reſiſtentiam illuſtrant. Magnum enim illi erat cum ſummo viro rerum mathematicarum atque phyſicarum commercium.

vulgavit *de motu aquae mixto*, ac paullo poſt aliud *de Caſtellis*, quorum in utroque tantam prae ſe tulit diligentiam & ſagacitatem in experiendo, ac judicium in experimentis explicandis, ut nihil ad famam colligendam magis fuerit idoneum. Qui de motu aquarum fluentium ante illum ſcripſerunt, motus tantummodo ſimplicis rationem habuerant. Ut hydrometriam igitur proveheret, Polenius examinandum ſuſcépit motum aquae mixtum, quem ſic appellat, quod ex motu aquae vivae & mortuae efficiatur. Dicitur autem mortua ſi quiescit, viva ſi ob preſſionem ſuperincumbentis moveatur, nec quicquam motui ipſius reſiſtat, ejuſque motus ſimplicis nomine donatur. Cum vero aqua viva fluat ſuper mortua, eamque premens efficiat, ut & ipſa moveatur, tum motus, quem diximus mixtum, habetur. Quomodo hic per curvam aliquam lineam, non ſecus ac motus ſimplex per parabolam a Scriptoribus repraeſentatur, exhiberi poſſit, ut nempe quantitates aquae fluentis motu ſimplici cum quantitatibus fluentis mixto conferantur, pluribus Auctor inquirit, & quamvis res multis ob-

noxia eſſet difficultatibus, plurimis tamen calculis tentatis, multisque habitis experimentis hoc ſtatuere ſe poſſe theorema putavit. *Quantitas aquae per perpendicularem mixti motus affluentis eſt id, quod procreatur ex tempore multiplicato per radicem altitudinis vivae ductae in parametrum mixti motus multiplicatam per duas tertias partes vivae altitudinis plus mortua altitudine*. Magno ubique candore totam meditationum ſuarum ſeriem exponit Polenius, & cum candore modeſtiam, quod ſummorum ſemper hominum proprium fuit, conjungit. His poſitis, exemplo aeſtuariorum Venetorum doctrinam motus aquarum mixti illuſtrat, & dum judicat de variis hominum operibus, quae ad aquas maris, fluviorum & canalium moderandas pertinent, exponitque quae afferri emolumenta, & quae caveri aut averti detrimenta poſſunt, effecit, ut nihil utilius eſſe videretur hoc libro Curatoribus aquarum, quae in aeſtuaria ſe ſe exonerant. Optaſſet ut flumina omnia ab his averterentur, cujus rei exequendae dum rationem explicat, Caſtellium alioſque erroris convincit, qui ſibi perſuaſerant a vi fluminum in aeſtuaria

ſtuaria influentium maximum obtineri aquarum momentum. Quoniam ingreſſus jam erat aquarum fluentium doctrinam tradere, ad hanc plurimum conducere putavit notitiam, quae ſit natura motus aquae, quae fluat aut per caſtellum, cujus latera convergant, aut per canalem, cujus orificium alterum amplius, anguſtius alterum ſit, quibus in motibus declarandis, quod nemo antea elaboravit, merito cenſuit ſe poſſe adeo de aquarum fluentium ſcientia mereri, ut inter inventores aliquando eſſet numerandus. Profecto ipse multa non ſolum nova, ſed etiam mira experiendo detexit, e quibus illa praeſertim celebrantur, queis docemur a parietibus canalium ſive multum ſive parum convergentibus quantitates fluentium aquarum paullulum ſemper immutari; aquam effluentem ex nudo foramine plus contrahi, quam ex tubo exeuntem, quodque mirum magis eſt per nudum foramen multo minus aquae tranſire, quam tranſeat tempore eodem per tubum, cujus diameter aequalis ſit foraminis diametro; eamdem tamen, & quod ad tubum & quod ad foramen attinet, inter velocitates &

altitudines aquae in vaſe rationem ſervari; ex quibus fundamenta poni poſſe videntur ad aeſtimandam aquam per caſtella tranſeuntem, quod Auctori propoſitum in primis erat. Ad extremum cum in eorumdem caſtellorum latera fluens aqua impingat, inquiruntur tum momenta impulſuum, quae varia ſunt, tum vires, quibus pollent particulae aquae fluentis, quo loco temperare ſibi Auctor non potuit, quominus de celebri quaeſtione de viribus motorum corporum a viris doctiſſimis plus nimio agitata pluribus diſſereret, quam certo atque claro experimento tandem a ſe prorſus diremptam fuiſſe putabat *. Addit inſuper aliqua de corporum motu & percuſſione, aliaque ſpectantia ad cauſſam, cur vires, de quibus agebatur, tales eſſent, quales eſſe comperiuntur. Cum primum Newto-

* Quae Polenio videbantur non poſſe convelli, confutata fuerant a Cribellio, Croſa ſeu Cruſatio, Pembertonio & Daſagulierio, quorum ſcripta extant in Tranſactionibus Anglicanis. Virium vivarum defenſor acerrimus calamum ſumpſit, quo prolata a ſe experimenta propugnaret, ejuſque ſcriptum extat in *Faſciculo epiſt. mathematicarum Epiſt. VI.*

Digitized by Google

nus animadvertit aquam prodeuntem ex ſoraminibus vaſorum contrahi, pronuntiavit in ſupputandis aquae tali modo prorumpentis velocitatibus non diametri ſoraminis, verum diametri venae, ut dicitur, contractae habendam eſſe rationem, & aquae velocitates velocitatibus corporum ſolidorum prorſus reſpondere. Multa inſtituit experimenta Polenius, ut id confirmaret; neque contentus iis, quae in libro *de Caſtellis* expoſuerat, alia retulit in epiſtolam quamdam ad Jacobum Marinonium, quanquam fateretur ipſam velocitatem aquae minorem a ſe deprehenſam fuiſſe, ut recedere videatur a ſententia, quam antea propoſuerat. In eadem epiſtola quaeſtionem ponit, an aquae filamenta, quae jactum efficiunt, ſemper aequaliter denſa ſint; etenim quoties etiam venae contractio ſenſu minime percipitur, ut accidit, quando per tubos extrahitur aqua, modo plus, modo minus aquae colligi animadvertit juxta diverſam longitudinem tubi, qui ſemper ejusdem erat diametri, cum aquae altitudo in vaſe conſtans eſſet; quin immo velocitas etiam jactuum manifeſto erat aequalis, quod ii omnes eam-

Digitized by Google

dem parabolam deſcribere videbantur. Haec & cetera hujuſmodi a Polenio pertractata latius patent, quam hic exponitur, & longi temporis, & magnae atque arduae cognitionis opus fuiſſe judicabis. Quapropter qui de aquis fluentibus tractant, magnam his ſcriptis tribuere ſolent auctoritatem; & Euſtachius Manfredius, qui ſane mihi unus inſtar eſt omnium, ex iis plura deprompſit, quibus tradita a Dominico Guglielminio de fluminum natura aut emendaret aut illuſtraret. Cum multas alias res in hydroſtatica nequaquam ſatis explicatas & perdifficiles eſſe intelligeret Polenius, quae ad agnitionem animi pulcherrimae, & reipublicae aut utiles aut neceſſariae eſſe videbantur, hortabatur ſe ipſum, ſane non ſocordem, ad veri inveſtigandi cupiditatem, ut editis jam libris alios veluti comites daret. Sed ipſa fama, quae de ſuperioribus percrebuerat, effecit, ut illi tempus deeſſet abſolvendi ea, quae multa commentatione ac meditatione indigebant: nam quotidie fere occupabatur aut in itineribus faciendis, aut in epiſtolis ſcribendis, aut in conſiliis dandis, quae ab illo multi, & Ve-

netus praeſertim Senatus, requirebant ad flumina aut avertenda aut dirigenda. Neque alienum unquam putavit homini de hydroſtatica ſcribenti hujus incunabula requirere, quapropter multa ſepoſuit, quae declarabant, quae fuerit hac in re veterum Romanorum aut induſtria, aut doctrina, non ſolum eorum ſcriptis, ſed etiam publicis operibus ad artis praecepta revocatis. Quanti haec facienda ſint ſatis indicat *Commentarius Sext. Julii Frontini de aquaeductibus urbis Romae* tanta eruditionis doctrinaeque copia a Polenio illuſtratus vulgatusque an. MDCCXXII. ut opus hoc omni ex parte perfectum judicatum fuerit. Multi, & Rupertus Keuchenius praeſertim, hac in re illum anteceſſerant, ſed poſtquam Polenii opus prodiit in lucem, vix ceterorum Frontini illuſtratorum recordamur. Utque magis magiſque de Scriptore, in quo mirabilis ſane, ſi tempora, quibus vixit, ſpectes, erat ſcientia aquarum, bene mereretur, non multos poſt annos Joannis Buteonis libellum de aquae fluentis menſura edidit, commentariiſque auxit, quo multa Frontini inventa optimo in lumine collocantur. Mira-

beris praeſertim haud ignoraſſe Frontinum multa eſſe, ex quibus aut augentur aut minuuntur velocitates & menſurae aquarum, quamvis artem hujus rei noſcendae definiendaeque certo ac generali theoremate minime docuit, quod geometriae ope a Benedicto Caſtellio abunde praeſtitum hydroſtaticae ſcientiae fundatoris illi gloriam peperit. Poſt haec Polenius excuſſit explicavitque intelligentiam ſuam, ut M. Vitruvii Pollionis de architectura libros corrigeret atque illuſtraret, quod quidem majorum vigiliarum munus videri poterat, quam ut ab homine in aliis graviſſimiſque rebus occupato praeſtaretur. Sed quo difficilius, hoc praeclarius. Prodiit itaque Patavii an. MDCCXXXIX. liber cum hoc titulo: *Exercitationes Vitruvianae primae*, qui fere totus componitur ex notitia eorum virorum, qui in Vitruvio emendando, explicando atque edendo laborarunt, earumque rerum, quas ipſi geſſerunt, ut judicari poſſet, intereſſet ne operam ponere in adornanda nova librorum Vitruvii editione. Quod ei erat perſuaſum omnem animadverſionem acerbitate, objurgatione, contumelia vacare debere,

leniſſimis verbis utitur, dum aliorum corrigit errores; & ſiqua feliciter ab hominibus callidis & peritis notata fuerunt, haec in rem ſuam minime ſepoſuit, ſed magnificis verbis extulit, atque omnibus patefecit. Liber hic veluti aditus & veſtibulum magnifici aedificii eſſe debebat, ad quod abſolvendum magnam, dum vixit, congeſſit materiem Polenius. Edidit ille quidem *Secundas & Tertias Exercitationes Vitruvianas*, quibus hominum de ſe expectationi, ſed non plane architecturae ſtudioſorum deſiderio ſatisfecit. Nam quamvis eruditis commentariis tum Vitruvii vitam a Bernardino Baldo Urbinate deſcriptam, tum Anonymi cujusdam, quem Petrum Diaconum fuiſſe ſuſpicatur, de architectura epitomen, aliaque aliorum opuſcula ad Vitruvium ſpectantia adornavit, nimium tamen impatienter ii exigere videbantur a Polenio, ut Auctoris textum a ſe codicum ope emendatum explicatumque in lucem hominum emitteret. Is non promptus ingenio tantum, ſed uſu quoque exercitatus ſe promiſſa ſervaturum ajebat, coactusque aut rei difficultate, aut rerum publicarum cura rem in aliud tempus

differre, haeſit in ſcribendo, quanquam, ut diximus, nunquam ceſſavit ſegetem atque materiem glorioſi operis colligere. Multa, quae hac de re ipſe reliquit, in manus hominis pervenerunt eleganti doctrina abundantis, quo melior ne voto quidem fingi potuit ad inchoata perficienda, ſarciendumque detrimentum, quod Polenii interitu Vitruvii ſtudioſi fecerunt *. Qui exiſtimabant virum mathematicum non plus attigiſſe eruditionis, quam quantum prima illa puerili inſtitutione potuiſſet, ex his aliiſque ejusdem ſcriptis facile conjecere, non mediocrem ipſum Latine ſcri-

* Is quidem an. 1773. declaravit quid eſſet acturus, hoc edito novae Vitruvii editionis, quam meditabatur, titulo. *M. Vitruvii Pollionis Architectura textu ex collatione Codicum MSS. emendato cum commentariis integris Guilielmi Philandri, excerptis Danielis Barbari, Claudii Salmaſii, Joannis de Laet, Claudii Perraultii, Bernardi Marchionis Galliani, aliorumque poſthumis, neque ante hac editis Julii Pontederae & Joannis Marchionis Poleni, ac ejusdem exercitationibus Vitruvianis, noviſſimis commentariis & exercitationibus Simonis Stratico in Patavino Gymnaſio matheſeos & nauthicae theoriae P. P. Academiae Scientiarum Londinenſis & Senenſis Socii MDCCLXXIII.*

bendi artificio operam dediſſe, neque hominem de ſchola eſſe atque a magiſtro eruditum, ſed interioribus quibusdam litteris praeditum, ut hac ſolum laude nomen ſuum ab oblivione poſteritatis atque a ſilentio potuiſſet vindicare. Ille vero dum in ſtudiis, quae ad eruditionem pertinent, verſabatur, nunquam viſus eſt ſibi magis placuiſſe, quam cum obſecutus eſt Academicis Cortonenſibus collegis ſuis, Diſſertationem de Dianae Epheſiae templo illis concedens *. Diligentiſſime & ſagaciſſime inquirit in ea, quae memoriae ſunt prodita de omnium celeberrimo aedificio, de ejus conflagratione, inſtauratione, ornamentis, divitiis, de ſacerdotibus, deque ſacrificiis, quae ab iis fiebant, de jure reorum, qui in illud aſylum confugiſſent, deque ceteris hujusmodi privilegiis, quae Dianium Epheſinum maxime nobilitabant. Eodem ferme tempore epiſtolam exaravit rogatu Aloyſii

* Alteram iis deſtinaverat diſſertationem *ſulla pianta d'un antico edifizio ſcoperto in Pozzuoli*, quam ad Gorium miſit; ſed haec minime in vulgus eſt edita, quanquam diligentiſſime elaborata fuerit.

Salii Vicetini de veteribus theatris atque amphitheatris, quod facile fuit homini in Vitruvii lectione exercitatiſſimo. Hujuſmodi multa ſaepe ab eo requirebantur, quod ſtudia antiquitatis maxime tum excolerentur, non modo ſtimulos admovente, ſed & ignes adhibente Scipione Maffejo. Ad hoc ſcriptorum genus pertinent & illa (nam de editis tantummodo nobis propoſitum eſt dicere) quae, poſtulante Angelo Maria Bandinio, exaravit de obeliſco quodam, qui ex Aegypto Romam advectus, Caeſare Auguſto imperante, diu jacuit in Campo Martio, quem ornaverat, ſepultus erutuſque a terra fuerat an. MDCCXLVII. Res erat hujusmodi, ut antiquarii & aſtronomi operam requireret (nam lapis ille ſolis umbras, dierum noctiumque magnitudines indicabat) neque fortaſſe tum erat alius, qui aeque ac Polenius utrumque munus poſſet explere. Enim vero mirari ſatis non queo hominem mathematicum, cui ſordeſcere ſolent omnia, in quibus inſignitae notae veritatis minime appareant, adeo laboraſſe in ſtudiis antiquitatis, quae plerumque in obſcuriſſima luce verſantur, ut his maxime capi

ac deliniri videretur. Neque contentus illa ſuis illuſtraſſe ſcriptis, alienorum quoque diligens collector eſſe voluit, & ex iis quinque magna confecit volumina, quae an. MDCCXXXVII. vulgavit cum hac inſcriptione: *Utriuſque Theſauri Antiquitatum Romanorum Graecorumque nova ſupplementa congeſta ab Jo. Poleno*. Meſſe jam facta a Jo. Georgio Graevio, Jacobo Gronovio, & Alberto Henrico Sallangrio, ſpicilegium ſupereſſe ajebat; & quae ipſe collegit pertinebant maxime ad civilem Romanorum Reipublicae adminiſtrationem, ad eorum numina, ad ſervos horumque officia, ad amphitheatra, circos & theatra, ad Salios Sacerdotes, Saliaresque coenas, ad rem navalem atque vehicularem. Multa narrat in praefationibus, quae vitam declarant eorum, a quibus ad id opus ſcripta mutuatus eſt; atque de iis non ſolum prudenter, ſed etiam modeſte, ſuo more, judicat. Accendebatur magis magiſque ad haec ſtudia Polenius ab homine, quocum non ſolum ſocietate atque amicitia, ſed etiam cognatione (nam ei filiam in matrimonium dederat) conjunctus erat, Julio Pontedera; neque du-

bito quin ei multa ſuppeditaverit, quibus uſus eſt ad famam hac ipſa in arte colligendam. Prorſus tanta erat in Polenio facilitas morum, tam ardens deſiderium alienae obſequendi voluntati, ut id quod ab ipſo petebant amici, exigere magis, quam rogare viderentur. Quare minime eſt mirandum, ſi vel moroſioribus ſatisfaceret, neſciretque iraſci aut intempeſtive accedentibus, aut impudenter rogantibus: juvare enim homines ad beatam vitam maxime conducere putabat. Ut utilitas ſua communis utilitas eſſet, non ſolum aditum omnibus patere volebat in bibliothecam ſuam, quae ſane multorum erat nummorum, quaeque nunc ornat Benedictinorum coenobium ad S. Juſtinae, ſed libros vel rariſſimos tam libenter commodabat, quam parabat. Si igitur operae, ſi vigiliae Polenii deſerviebant amicis, & praeſto erant omnibus, ſi cum hydroſtaticum aliquid ſuſcipiebat, non ſecus ac Frontinus ſuus gloriari poterat *ſe vel a naturali ſolicitudine, vel a fide ſedula non ad diligentiam modo, verum ad amorem quoque commiſſae rei inſtigari* *, non ſolum excuſatione,

* Front. in praef. ad librum de Aquaeductibus &c.

verum etiam laude dignum illum judicabimus, quod inchoata multa aut phyſica, aut mathematica, quae longos & otioſos dies requirebant, minime abſolverit. Interdum tamen laborabat, ut ante collectam in his ſtudiis famam conſervaret, moremque gereret Academicis aut Londinenſibus, aut Berolinenſibus, aut Petropolitanis *, quorum in collegia cooptatus fuerat, aliquid ab eo ſemper requirentibus, quod ad exornanda illorum *Acta* valeret. Habebat & litterarum commercium cum Pariſienſibus, quibus praeſertim gratificari optabat. Ut diligentiſſime poterat, colligebat obſervationes, quae ad meteora pertinebant, **, & nunquam defuit Meranio

* Cum ad Eulerum mathematicorum facile principem miſiſſet, quae de organica deſcriptione Tractoriae & Logaritmicae ingenioſiſſime ſane excogitaverat, invitatus ab eo fuit, ut magis magiſque inſtrumentum ſuum perficeret. Tanti viri hortatu operi manum admovit, ſed quod inchoaverat minime abſolvit. Reliquit tamen inſtrumentum ad deſcribendas Tractorias, quarum baſes eſſent curvilineae, aptiſſimum.

** Vel ab adoleſcentia inſtituerat hujusmodi ob-

multa ab eo de auroris borealibus, de quibus opus ſcribendum ſuſceperat, quaerenti *. Miſit etiam ad Academiam an. MDCCXXXIII. ſcriptum quoddam de terrae figura, qua de re ita diſputabant philoſophi, ut nulla iis temporibus celebrior quaeſtio eſſe videretur. Conatur praeſertim oſtendere illa, quae de telluris figura eo uſque tradita fuerant, non eſſe ſatis certa & explorata. Cumque Caſſinius figuram telluris ex inaequalitate graduum in meridiano elicere voluerit, contrariam prorſus ei, quam Hugenius & Newtonus ex vi centrifuga a motu vertiginis ipſius terrae pendente intulerant, arbitratur Polenius poſſe hanc dirimi controverſiam, ſi graduum differentiae in circulis parallelis inveſtigentur, ut pote quae multo majores eſſe debent, ſi ter-

ſervationes, & in iis habendis nunquam ceſſaſſe videtur. Communicabat eas praeſertim cum Jacobo Turino Anglo medicinae Doctore, qui an. 1724. ſcriptum ediderat cum hoc titulo: *Invitatio ad obſervationes meteorologicas communi conſilio inſtituendas*.

* *Vide Meranii ipſius librum, cui titulus;* Traité de l'aurore boreale.

rae non fuerit ſphaerica figura, quam in meridiano. Docet enim qui fieri poſſit, ut in motu vertiginis retineat tellus ſphaericam figuram. *Uſque eo dum lis ſub judice eſt* (ſcribebat in haec verba ad Guidonem Grandium) *& alii dantes telluri figuram ſphaeroidis verſus polos oblongatae meridianorum gradus ab aequatore circulo progrediendo ad polos magnitudine minui, alii vero contraria prorſus ratione ſphaeroidis depreſſae ſub polis formam terrae tribuentes, gradus ab aequatore circulo progrediendo ad polos magnitudine augeri volunt, nonne tutius videri poteſt tueri etiam num telluri ſphaericam formam, atque ita eam propoſitionem ponere, quae ab utraque ex modo allatis ſententiis minus hercle diſtabit, quam diſtent ſententiae illae inter ſe?* Quanquam Polenii ſententia haud probabatur Maupertuiſio *, eam tamen ſic diſcutit, ut plurimum argumentorum illius ſubtilitati tribuere videretur. Quantum haec ſuffragarentur laudibus Polenii, nihil attinet dicere, cum is an. MDCCXXXIX. in Academiam ipſam Pariſienſem lectus fue-

* Vid. Hiſtoire de l' Academie Royale an. 1733.

rit, quod ex omnibus praemiis doctrinae ampliſſimum eſſe exiſtimatur. Octo enim exteris viris aditus tantummodo eſt in id ſapientiae ſacrarium, praecluditurque iis omnibus, qui ſingularia non dederint doctrinae aut phyſicae aut mathematicae documenta. Proponuntur & praemia, qui aliquam rem novam invenerint, aut inventis addendo magnam attulerint utilitatem, & qui uno donantur, immortalitate ipſa donati eſſe videntur. Sed Polenius tria conſecutus eſt praemia, quae ad rem navalem pertinent, cujus ſcientia non admodum ab eo expectabatur. Docuit enim primo, quae eſſet ratio magis idonea menſurandi navis curſum ſine ope caeleſtium obſervationum; ſecundo, quae eſſet optima figura anchorarum, & quomodo hae fabricandae ſint, & quomodo de earum perfectione judicari poſſit; poſtremo quale ſit ergatae genus, quod navibus magis inſerviat. Parum abfuit quin quarta ei decerneretur corona. Nam Diſſertatio, quam ad Academiam miſit *de praeſtantiore modo, quo acus magneticae declinatio a navigantibus poſſit determinari*, ſecundos

ſecundos meruit honores *. Profecto ſi omnia philoſophiae praecepta referri debent ad vitae commoda, & publicis & privatis in rebus Polenium ea praeſtitiſſe judicabimus, ob quae in ſapientiſſimorum ſuae aetatis philoſophorum numero ipſe ſit collocandus. Et quod ei praeſertim probabatur phyſica, quae experientiam conſulit, cui ſane utiliora inventa ſunt tribuenda, magni intereſſe putavit ad decus & laudem Academiae Patavinae, ut eſſet in ea *phyſicae experimentalis* magiſter, cujus conſilii, quod ſtatim probarunt Triumviri, dum ipſe illius docendae onus in ſe ſusciperet, ipſum minus poenituit, quod ſtatim ſenſerit, quam multorum non modo diſcendi, ſed etiam ſcribendi ſtudia commoverit. Oratio, quam dixit V. kal. Decemb. an. MDCCXL. cum primum cella phyſica, ut ita dicam, publice dedicata eſt, ſatis eſt argumenti judicio, facultate atque arte ſumma illum fuiſſe in exploranda per experimenta na-

* Bouguerius, quod oblatum fuerat praemium, ſolus obtinuit. Extat Polenii diſſertatio in Tranſactionibus Anglicanis.

tura. Cujus cum interpres eſſet, quanquam erat acerrimo ingenio, tamen ea dicebat, ut ab ipſa natura caſu didiciſſe, non ut ipſe reperiſſe videretur. Habebat Polenius in animo inſitam quamdam informationem veri; quapropter quacumque in re, quam ſuſcipiebat, talis evadebat, ut ad id unum maxime natus aptuſque judicaretur. Vel bellus fabricator machinarum & architectus eſſe dicebatur & erat; qua de cauſſa Romam a Benedicto XIV. P. M. vocatus fuit. Rumor enim ſparſus fuerat Vaticanum tholum ruinam minitari, & idoneus maxime Polenius exiſtimabatur vel ad arcendum timorem vel ad malum ſanandum. Extat opus ejusdem Pontificis juſſu a Polenio conſcriptum, in quo eleganter & copioſe ea omnia narrantur, quae ad hiſtoriam hujuſce tholi pertinent; quodque res eo praeſertim ſpectabat, ut quae facienda, quaeque vitanda eſſent ipſe decerneret, & ſuam & aliorum architectorum, qui multi conſulti fuerunt, ſententiam ad artis praecepta perpendit. Satis timori, ſatis periculo conſultum putavit, ſi ferreo circulo univerſus cingeretur tholus, quod ſane in

varias incurrit reprehenſiones. Nonnulli enim in dubium vocabant, ſatis ne cauſſae eſſet metuendae ruinae; ajebant alii, ſi male materiatum & ruinoſum aedificium fuiſſet, ferreum circulum aut nullum huic malo futurum remedium, aut ipſum aucturum ruinae periculum. Reſpondit Polenius reprehenſoribus ſuis, vehementerque laetatus eſt ſuum factum ſuumque opus ab ſapientiſſimo Pontifice probatum, neque mediocribus praemiis remuneratum fuiſſe. Cum coram illo eſſet, & garriret quidquid in buccam veniret, paucos ſe noviſſe teſtatus eſt Pontifex, qui aeque ac Polenius multiplici adeo praediti eſſent doctrina, & de illo Romae retinendo cogitaſſet, ſi quidquam eidem dulcius fuiſſet patria, Academia Patavina, laribus familiaribus, litteratoque otio, iis, dico, litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae & in hoc ipſo mundo caelum, terras, maria cognoſcimus. Libenter tamen commorabatur in Urbe, quod antiquitatis ſtudioſo jucundiſſimum eſſe dicebat, quacumque ingrederetur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponere. Venerat & eo, ad Chriſtianae Reipublicae gubernacula ſedente

Clemente XII., & cauſſa veniendi fuit emendatio Romani Kalendarii *, quod negotium diu per ſummos mathematicos agitatum ad exitum perveniſſet, niſi Jeſuitarum artes obſtitiſſent. His enim cordi maxime erat Clavium, quem in ſua correctione adhibuit Gregorius XIII., omni erroris ſuſpicione liberare. Redux Polenius in Academiam Patavinam perfunctus jam rebus ampliſſimis tanquam in portum confugere debuiſſet non inertiae atque deſidiae, ſed otii moderati atque honeſti. Verum quod illum non tam fructus & gloria, quam ſtudium ipſum exercitatioque maxime delectabat, minime relaxabat animum, vehementique contentione multa, quae inchoaverat, perſequebatur. Hoc eo magis commovebat eos, quibus erat carus, quod videbant ſine vitae periculo tantos labores haud

* Extant hac de re bina Polenii ſcripta ſane docta, quae tamen minime in vulgus ſunt edita. Altero ad examen revocat Manfredii ſententiam, altero reſpondit libello, qui inſcribebatur: *Quaeſtiones de recta Paſchae indictione*, quique ita prodierat in lucem, ut ignoraretur illius auctor, qui ſane fuerat Manfredius ipſe.

poſſe ab illo ſuſtineri. Ipſa natura viſa eſt admonuiſſe illum, ut aut remitteret, aut moderaretur exercitationes ingenii, cum vehementiſſimis coeperit affliƈtari capitis doloribus. Sed habitus nunquam ſe deſerit, & cum paullulum remittebat dolor, ad priſtina homo navus redibat ſtudia. In hoc cum eſſet ſtatu de *faſciculo* altero *epiſtolarum mathematicarum* edendo cogitavit. Nam alterum ediderat anno MDCCXXIX. multaque ſepoſuerat, quae luce & fama, quam collegerat, digna putavit. Ex his epiſtolam commemorabimus ad Meadium (erat is inter Londinenſes Academicos vir clariſſimus) qua probare conatur bina aequalia pendula eodem in loco ſic poſita, ut alterum ſit in meridiani plano, alterum in plano primi verticalis, inaequaliter vibrare; quod ſi certo confirmari poſſet experimento, nulla non laude Polenii inventum eſſet celebrandum. Inter haec corpus infirmum & caducum debilitabatur quotidie magis; & quod vir religioſiſſimus intelligebat nullam eſſe humanam gloriam, cujus conſequendae ſpe inflammatus multos labores magnosque ſuſceperat, totum ſe ad aeterna convertit. Sic

cum vitam tranquille traduxiſſet ad ſeptuageſimum uſque octavum aetatis annum in vero inquirendo unice occupatus, placide mortem obivit XVIII. kal. Decemb. an. MDCCLXI. verum illud anhelans, ad quod niſi omnis noſtra actio omniſque ſumma philoſophiae referatur, nos quidem ſpecie magna, ſed re ipſa leviſſima negotia moliti eſſe judicabimur. Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, ſed intus domique praeſtantior. Sex, quos ſuſceperat, filios ſancte educavit, eorumque tres libentiſſime Deo conſecravit. Cum uxore nunquam in gratiam rediit, mortuamque an. MDCCXXXVII. voluiſſet ab inferis revocare. Cautus, moderatus, diligens, conſilii plenus, & egregie fidelis, elegans, & lepidus etiam, ſi res & tempus poſceret, vel ab iis diligebatur, qui ſolent invidere virtuti: omnino dixiſſes collectam vel ab adoleſcentia famam maluiſſe illum tueri dignitate, humanitate atque innocentia, quam populari jactatione. Pro ſingularibus illius meritis nobilitate Patavina donatus eſt; & cum ſaepius ampliſſimo Quatuorvirorum munere functus fuiſſet, multa conſiliis ſuis providit utiliſſi-

ma: quare minime eſt mirandum ſi univerſae civitati perluctuoſa ejus mors fuerit. Quantum autem deſiderium ſui reliquerit apud Senatum Venetum, ex eo conjici poteſt, quod de ejus ſcriptis hydroſtaticis publico in loco aſſervandis ille deliberavit, monumentumque tum ei, tum Franciſco filio decrevit aureo numiſmate, in quo erat inſcriptum *.

FRANCISCO ABBATI
JOANNIS POLENI MARCHIONIS P. P.
FILIO
OB MERITA ERGA REMPVBLICAM
PARENTIS EXIMIA
ET SVA
SENATVS CONSVLTO.

Quidni beatos eos eſſe judicabimus, quibus tanto honori eſt a ſuis Principibus ſervire patriae & litteris?

* Aliud monumentum Polenio poſitum fuit in Aede S. Jacobi, in qua ejus corpus ſepultum fuit. Hujuſmodi eſt titulus: *Joanni Marchioni Poleno Jacobi filio Veneto civi ac Patavino Phyſices & Matheſeos in Patrio Gymnaſio per an. LIII. Profeſſori clariſſimo, cujus ingenium & doctrinam ſcripta teſtantur, Patri optimo deſideratiſſimo Filii moerentes poſuere. Vixit annos LXXVIII. M. II. D. XXII. Obiit XVIII Kal. Decemb. an. Aer. Vulg. MDCCLXI.*

OPERA EDITA

Miſcellanea; hoc eſt I. Diſſertatio de barometris & thermometris. II. Machinae arithmeticae, ejuſque uſus deſcriptio. III. De ſectionibus conicis parallelorum in horologiis. Venetiis apud Blaſium Pavinum 1709. in 4.

Conſiderazioni intorno al barometro del Carteſio ed al peſo dell'aria. *Extant* nel Tomo V. del Giornale dei Letterati d'Italia: *In VIII. vero volumine extant*: Conſiderazioni intorno alle varie accelerazioni o ritardazioni che i corpi gravi nelle loro cadute patirebbero, ſe la terra giraſſe per l'orbe annuo.

De vorticibus coeleſtibus Dialogus, cui accedit quadratura circuli Archimedis & Hippocratis Chii analytice expreſſa. Patavii ex typographia J. B. Conzatti 1712. in 4.

Obſervatio ſolaris eclipſis habita Patavii V. non. Maii 1715. Patavii apud Conzattum 1715. in 8.

.... eadem: accedunt epiſtolae duae de quodam phaenomeno in eadem eclipſi obſervato. Patavii ap. Conzattum 1716. in 4.

De motu aquae mixto libri duo. Patavii typis Joſephi Comini 1717. in 4.

De Caſtellis, per quae derivantur fluviorum aquae, habentibus latera convergentia. Patavii typis Joſephi Comini 1718. in 4.

De phyſices in rebus mathematicis utilitate Praelectio. Patavii 1716, typis J. B. Conzatti in 4.

De matheſis in rebus phyſicis utilitate Praelectio. Patavii 1720. Typis Joſephi Comini in 4.

Sex. Julii Frontini de aquaeductibus urbis Romae Commentarius antiquae fidei reſtitutus atque explicatus. Patavii 17.2. ap. Jo. Manfrè in 4.

Mercurius in ſole obſervatus V. Id. Nov. 1723. Patavii in 4.

Ad Guidonem Grandium epiſtolae duae, in quarum altera nonnulla de telluris forma; in altera vero quaedam de cauſſa motus muſculorum: primae autem accedit obſervatio defectus Lunae habita Patavii an. 1724. Patavii 1724. in 4.

Ad Jacobum Marinonium epiſtola, in qua agitur de Solis defectu an. 1724. Patavii obſervsto, & de aliquibus experimentis pertinentibus ad aquss fluentes: accedit Jo. Buteonis de fluentis aquae menſura libellus cum notis in 4. *Haec a Polenio in Italicum conversa fuere, ut cum ceteris ejus ſcriptis hydroſtaticis ornarent* La nuova raccolta d' Autori, che trattano del moto dell' acque; *quae collectio Florentiae & Parmae edita eſt. In collectione Fiorentina extant etiam quae Polenius animadverterat de vi percuſſionis cum hiſtoria omnium librorum, qui hac ſuper re prodierant, & experimentorum, quibus celeberrimam iis temporibus diſputationem ſe conficere poſſe putavit.*

Joannis Poleni in Gymnaſio Patavino Matheſeos Profeſſ. Petropolitani Prof. Honorarii & Scient. So-

cietatum, quae Londini & Berolini ſunt, Sodalis epiſtolarum mathematicarum faſciculus. Patavii typis Seminarii 1729. in 4. *Hae epiſtolae ſeparatim antea editae fuerant. Commemoranda praeſertim videtur* epiſtola ad Jacobum Hermannum, in qua agitur de organica curvarum tractoriae atque logaritmicae conſtructione, cum problematum ac theorematum de curva tractoria a celeberrimis Geometris propoſitorum Demonſtrationibus: Patavii typis Seminarii 1729. in 4.

Obſervatio defectus Solis habita Patavii 15. Julii 1730.

Obſervatio defectus Lunae habita Patavii kal. Decemb. 1731. *Extat in Comment. Acad. Petropolitanae* T. IV. p. 311.

..... habita Patavii kal. Aprilis 1736. ib. T. V. p. 392.

Epiſtola ad Alexandrum de Pompeiis, qua nonnullae obſervationes aſtronomicae & meteorologicae continentur ib. T. VIII. p. 439.

Epiſtolae duae, quibus continetur ſummarium obſervationum meteorologicarum per duo ſexennia Patavii habitarum. *Extat in Tranſactionibus Anglicanis n.* 417. & 448. *In his invenies etiam quae Polenius ſcripſit*

De vi centrifuga

De praeſtantiore modo, quo acus magneticae declinatio a navigantibus poſſit determinari.

Utriusque Theſauri antiquitatum Romanorum Graecorumque nova ſupplementa vol. V. Venetiis apud Paſqualium 1737. in fol.

Obſervatio Aurorae Borealis viſae nocte inſequente diem XVI. Decembr. an. 1737. habita Patavii. Patavii in 4. *Extat etiam in Collectione Calogeriana T. XVII. p. 1. Plura Meranius habet de Polenii obſervationibus in libro, quem inſcripſit :* Traité de l' aurore boreale .

Parere intorno al taglio della macchia di Viareggio . Lucca per Domenico Ciuffetti 1739. in 4.

Exercitationes Vitruvianae primae , ſecundae & tertiae. Patavii typis Seminarii 1739-41. in 4.

Quanam potiori ratione , nullis habitis ſtellarum obſervationibus , navigantes metiri queant iter a navi confectum . *Haec Diſſertatio , quae praemio affecta fuit ab Academia Pariſina , extat in ejus actis an.* 1733.

Diſſertations Latines ſur les ancres , qui reſpondent aux trois queſtions propoſées à cet ſujet par l' Academie Royale des Sciences . Pieces, qui ont partagé le troiſieme des prix de l'année 1737. *Extant* dans les Pieces , qui ont remporté les prix de l' Academie Royale en 1737. p. 85.

De ergatae navalis praeſtabiliori faciliorique uſu Diſſertatio. *Haec Diſſertatio una ex quatuor , quae praemium duplex meruere , extat* dans les Pieces, qui ont remporté le prix de l' Academie Royale an. 1741. p. 89.

Rifleſſioni ſopra la maniera di fare le tavole aſtronomiche coll' oſſervazione di parte dell' Ecliſſi lunare 8. Settembre 1737. *Iis locum dedit Scipio Maffejus*

Digitized by Google

in vol. III. delle Oſſervazioni letterarie ſtampate in Verona . *Quaedam alia aſtronomica Polenii extant etiam in volum. I. ejusdem operis . Relatum vero in Volum. IV. fuit ejusdem Polenii ſcriptum , cui titulus* Poſizione geografica della città di Padova .

Inſtitutionum philoſophiae mechanicae experimentalis ſpecimen . Praelectio habita V. kal. Decemb. 1740. cum novum Theatrum pro experimentali philoſophia in Patavino Gymnaſio dedicaretur . Patavii typis Seminarii 1741. in 4.

Diſſertazione ſopra il Tempio di Diana d'Efeſo . *Extat in parte II. vol. I.* dei Saggi di diſſertazioni Accademiche di Cortona . Roma 1742.

Lettera in materia d'acque per il canale di Monſelice .

Parere intorno alla regolazione dell' acque del Teſino in vicinanza della città di Pavia . *Hoc ſcriptum cum aliis ad eamdem rem pertinentibus editum eſt an.* 1752. *in fol.*

Memorie iſtoriche della gran Cupola del Tempio Vaticano ec. Padova nella ſtamperia del Seminario 1748.

Lettera ſopra gli antichi teatri ed anfiteatri . *Edita eſt* col diſcorſo del Conte Gio. Montenari ſopra il Teatro Olimpico . Padova preſſo Gio. Batiſta Conzatti 1749. in 4.

Epiſtola de obeliſco Caeſaris Auguſti . *Extat in libro , qui inſcribitur* , de obeliſco Caeſaris Auguſti e Campi Martii ruderibus nuper eruto Commentarius

Auctore Angelo Mariâ Bandinio. Accedunt Clarorum Virorum epiſtolae atque opuscula. Romae 1750. in fol.

OPERA INEDITA.

Euclidis elementorum, Theodoſii ſphaericorum, Apollonii Conicorum figurae tyroni accommodatae.

Trattato di Ottica. *Hoc mira Neutoni inventa exponuntur atque illuſtrantur.*

Memorie per un trattato di geografia.

De natura finitarum quantitatum differentialium. *Opus iſtud quinque in volumina dividitur, eaque Auctor deſtinaſſe videtur ad univerſam analyſim exponendam.*

Trattato ſopra alcuni volatili delle Lagune detti volgarmente Cocali.

De recta Paſchae indictione ſcripta varia.

Votum ſuper ſexto miraculo praeſervationis & omnimodae incolumitatis Petri Vagii ex altiſſima nucis arbore praecipiter labentis. *Fortaſſe editum fuit Romae inter acta beatificationis B. Hieronymi Miani.*

Deſcrizione d' un orologio d' invenzione nuova, il quale moſtra minuti primi, ſecondi e terzi, ed iſtantemente ſi move e ſi ferma, coll' aggiunra di alcune coſe ſulla reſiſtenza de' ſolidi.

Diſſertazione in forma di lettera diretta al Sig. Propoſto Anton Franceſco Gori ſopra la pianta d' un edifizio ritrovata in Pozzuoli.

Li primi cinque libri dell' Architettura di Vitruvio ridotti alla ſua vera lezione con annotazioni d' altri, ed il Commento del Poleni. Per gli altri cinque ſi danno le varianti lezioni, le proprie ed altrui annotazioni coll' indice di tutte le parole di Vitruvio, dietro l' edizione di Guglielmo Filandro.

Rifleſſioni ſulle forze centrifughe, ſulle forze vive e morte.

Oſſervazioni meteorologiche giuſta l' invito di M. Jurin.

Scheletri e sbozzi di lezioni mattematiche.

Volum. XXIV. di ſcritture o diſſertazioni appartenenti alla ſcienza idraulica ed al regolamento de' fiumi, d' arſenale, di boſchi, all' architettura militare e civile. *Haec delata Venetias ſtudioſiſſime Principis juſſu publico in loco aſſervantur ad poſterorum utilitatem.*

Commercio epiſtolare. *Utinam aliquis reperiretur, qui colligeret atque ederet tum Poleni, tum aliorum ſummorum virorum ad eum ſcriptas epiſtolas, quae magis doctrina, eruditione atque elegantia commendantur.*

ANGELUS FABRONIUS

MELCHIORRI CESAROTTO

S. P. D.

SAepe a multis reprehenſus ſum, quod cum de Italis doctrina excellentibus ſcribendum ſuſceperim, alia uſus ſim lingua, quam Italica, quae elegantia & copia abundat, quam cultiores nationes diſcunt, & quae, ſi grati in patriam videri volumus, eo ſtudioſius nunc excolenda eſt, quod eam impuriſſimis vitiis multi inquinaverint. Fuit profecto tempus, quo quidquid homines loquebantur & ſcribebant, puro quaſi quodam & candido orationis genere ornabant, ut cum ipſius nutricis lacte non elegantiam modo, ſed & dicendi veneres ſugere viderentur. Sed nunc pene amiſimus hanc linguae, ut ita dicam, innocentiam; quapropter diligenter etiam atque etiam curare debemus, ut ei priſtinus ſplendor, dignitas & gradus reddatur. Geſſimus & nos quoque morem tuae voluntati, cum libellum Italice ſcriptum anno ſuperiore edidimus, in

quo complexi ſumus vitas Galilei, Leopoldi Medicei, Jacomellii, Perellii, Frugonii & Metaſtaſii. Atque hoc quidem in genere ſcriptionis neſcio num intelligentibus judicibus me probaverim. De Frugonio ſcilicet & Metaſtaſio non aliter ſcribendum putavi, cum mihi propoſitum eſſet ex variis carminum generibus, quae ab ipſis maxime exculta fuere, excellentiſſima quaeque libare, & lectorum oculis ſubjicere, quo teſtatior eſſet ſingularis eorum in re poetica virtus. Ridicule autem feciſſem, ſi alternis verbis Latinis Italica carmina interpoſuiſſem. Verum quidem nos & in hoc tempore, & in omni vita, quantum ingenii vires ſivere, elaboravimus, ut Latinae litterae in pretio eſſent atque excolerentur, neque alia niſi Latii lingua utendum nobis putavimus, cum poſterorum memoriae prodere decrevimus Italorum noſtrorum illuſtria in litteras merita, quod ea neſcio quam dignitatem rebus, de quibus ſcribimus, impertiri mihi videatur, & quod nuſquam gentium ignota ſit & peregrina. Ex iis, qui magna voce clamarunt, Latina abjicenda, majorum noſtrorum judicia damnanda, qui tantum in iis operae ſtudiique poſuerunt, ut longum poſt exilium velut poſtliminio revocarent,

rent, non poſtremus certe fuit, vir cetera ſummus, Alembertius, cujus auctoritate multi decepti Latinam linguam vix a limine ſalutare audent, adeoque impie ſe ſe gerunt in nobiliſſimam matronam, quae leges olim univerſo orbi dixerat, quae humanitatem feris gentibus invexerat, cujus majeſtate Catholica Eccleſia, & qui ad ejus gubernacula ſedent, gloriari videntur, ut in puerorum ſcholas, tanquam in aliquod piſtrinum, detrudant atque compingant. Quam id ſit illitteratum & ſtultum, multi oſtendere conati ſunt; ſed nemo fortaſſe magis virium habuit, ut cum Alembertio luctaretur, quam Sibiliatus noſter, qui defenſionem ſuam (nam quantum valeat Graecis Latiniſque litteris nemo eſt qui ignoret) cum ipſius Latinae linguae defenſione conjunctam eſſe putavit. Sed iraſci homini amiciſſimo ſoleo, quod latere ſinat in ſcriniis multa, quae ipſe diligenter elaboravit, cujus rei cauſſam quamlibet aliam eſſe arbitror, praeter unam deſidiae, cum aſſidua ejus atque inexplebilis in ſtudiis opera ſit. Audivi quidem ex illo ipſo ita contexuiſſe opus ſuum, ut, non argumentis modo, ſed ipſiſſimis verbis in aciem velut eductis, ea ſigillatim qua rationibus, qua

conjecturis, qua exemplis ita oppugnatum eat; ut pronum ſit intelligentibus pervidere Gallum philoſophum in Latinis litteris hoſpitium, Italum philologum domicilium habere. Sed & in caſtris hic illum ſuis, nempe philoſophicis, adoritur quandoque & urget, velut cum negans ille nobis Latine ſcribentibus ſatis compertas eſſe germanas verborum proprietates, & alterum pro altero promiſcue ac temere uſurpari, citat locum ex IV. Tuſculanarum M. Tullii, cujus nec in ſcribendo ſidem, nec in interpretando ſententiam videtur eſſe aſſecutus. In eo etiam commemini vim multam ingenii & eruditionis a Sibiliato exſeri, ut Latinam linguam mortuam nunquam fuiſſe contendat, feſtive provocans adverſarium, ut emortualem ejus diem indicet, & alteram itidem diem, quae cineribus ſuis, phoenicis inſtar, revixerit: tum vero ſerio agens, ab Auguſti aevo ad noſtrum uſque percenſet ſeriem doctorum virorum, qui ſcribendo & loquendo ejus vitam, ſin minus eadem ſemper ſalubritate vigentem, at vitalem tamen per vices propagarunt; tum bono in lumine collocat Quintiliani effatum: conſuetudinem ſermonis effici conſenſu eruditorum, ut vivendi conſenſu bono-

rum. *Alia plura memori menti recurſantia miſſa facio, quae ſua tum ille mihi animi incitatione & linguae volubilitate non tam protulit, quam effudit de pronunciatione, quam tametsi non eamdem eſſe concedat, ac olim Romuli nepotum, multimodis tamen refutat, quae corollarii loco adſtruere ſatagit Alembertius; de Titi Livii Patavinitate, cujus ignorationem nobis tam ſero natis fruſtra exprobrat ille; & argumentum ignoratae quoque Latinitatis non rite cenſet; de multiplici diſſimilium Latinorum auctorum lectione, ex qua diſſimilem, & abnormem dicendi rationem conflari vitilitigat; de linguae ac ſtili diſcrimine, quae duo interdum confundit Criticus Gallus, & controverſiae ſtatum immutat. Quae idcirco tibi longiuſcule commemoravi, ut qua apud Sibiliatum collegam tuum polles benevolentia ac fide, ceſſanti ſtimulos ſubdas, cum tibi quoque, qui linguam hanc egregie calles, non poſſit non eſſe cordi ejus tuendae, ornandae, perpetuandae ſollicitudo. Quam ſi forte ego nunc impenſius efferre video, ignoſcas volo homini de laudibus Jacobi Facciolati dicturo. Nam non ſatis habuit vir immortali memoria digniſſimus eam per ſe colere, & ab ea magnum nomen accipe-*

H 2

re, ſed illexit homines ad illius ſtudium, cum ejus veteres illibataſque divitias in magnum Lexicon profudiſſet. Non neceſſe putamus referre, quid alii, & Calepinus praeſertim, ante eum praeſtiterint. Nam in hac acie non tam glorioſum eſt palmam ferre, quam arripere. Nec mediocris eum quoque cura tetigit provehendi ſtudium Italicae linguae, cui & libris editis conſuluit, ac praeſertim promptuario illo libro (orthographiam Italicam nuncupavit) in quod bis millena ferme vocabula conjecit ex probatae notae ſcriptoribus diligentiſſime arceſſita, quae in magno Etruſcorum Lexico deſiderabantur. Monebat tantummodo Italos ſuos, ne Gallos imitarentur, quibus nihil placet alienum, & qui adeo lenocinantur linguae ſuae, ut oleum & operam perdere putent omnes illos, qui linguas, ut vocant, mortuas adhibent, quique ſuperbe pronunciant, Sinas alioſque Aſiae populos canere, Germanos rudere, Hiſpanos declamare, ſibilare Anglos, Italos ſuſpiria mittere. Sed quid eſt cur rationibus convincamus homines nimium ſuorum amantes, cum ii ne commoveantur quidem tui tuique ſimilium exemplis, qui locupletiorem hanc noſtram linguam effeciſti, multis in lucem emiſ-

ſis ſcriptis, quae omnium manibus teruntur? Nam ut de Celtarum poeta Oſſianno nihil dicam, quem ita Italis verſibus reddidiſti, ut exemplar ſemper exaeques, non raro exſuperes, quas tibi habere gratias debemus, qui loquentes Italice induxiſti non ſolum illud eloquentiae fulmen Demoſthenem, ſed & ceteros omnes nobiliores Graecos oratores; & qui ea de Homero paras, ut non reformidet Italica poeſis exprimere infinitas pulchritudines, quas ex divinitate ſua genuit Poeta, cui ſimilis nunquam fuit? Hic erit ſane campus ampliſſimus, in quo excurrere virtus tua, cognoſcique poſſit quanta ſit copia, vis, & poteſtas Italicae linguae, cui dum conſulimus, aequo patiemur animo habere nos oratores noſtros, dummodo Demoſtheni & Ciceroni; habere poetas, dummodo Homero & Virgilio; habere hiſtoricos, dummodo Thucydidi & Livio faſces ſubmittamus. Vale; & quoniam tantis litteris es inſtructus & abundans, quantas eſſe oportet ei, qui non unus e multis, ſed inter multos prope ſingularis videri vult, perge Italiam noſtram ſcriptis tuis illuſtrare, ut per te quoque non degeneraſſe a virtute majorum judicetur. Iterum vale.

Piſis V. Kal. Apriles MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Jacobus Facciolatus

Venio nunc ad Jacobum Facciolatum, qui etsi magnarum rerum ſcientia Morgagnio & Polenio erat inferior, eam tamen famam adeptus eſt, ut par iis eſſe videatur. Dum ii vivebant, in ore omnium coeperat eſſe, tribus hiſce viris maxime illuſtrari Academiam Patavinam, quorum alter ſe ipſum unice, alter omnes laudans, tertius denique omnes carpens, conſecuti fuerant celebritatem ſermonis hominum. Sed ab initio eſt ordiendum. Jacobus natus eſt Tauriliae in collibus Euganeis, patre Matthaeo, matre autem Maria Superantia prid. nonas Januarii an. MDCLXXXII. Annum aetatis attigerat vix alterum & decimum, cum eum parentes politioribus litteris in Treſtenſi collegio, non procul Ateſte oppido, ſedulam operam navare voluerunt. Quod cum auſpiciis floreret Gregorii Cardinalis Barbadici, id cauſſae fuit quamobrem Facciolatus, qui ingenii acie non modo, ſed induſtria etiam pollebat, anno poſt a ſapientiſſimo Antiſtite inter alu-

mnos Seminarii Patavini referretur. Ibi ſtudiorum omnium ſtadium emenſus an. MDCCIV. theologica laurea donatus eſt, & cooptatus in collegium theologorum. Anno eodem iterum in Seminarium accitus a Gregorio Cardinali Cornelio, qui Barbadici, cui ſucceſſerat, famam magna cum laude ſuſtinebat, ut juventutem imbueret earum rerum cognitione, quae plurimum decent adoleſcentes divino cultui addictos, primum ad breve tempus pro theologo fuit, tum vero triennium profeſſus eſt philoſophiam. Verum quod ei acutum & feliciter audens ingenium natura tribuerat, & humaniores diſciplinas, declinata, quae diu eas infuſcaverat, barbarie, quotidie magis excolere videbatur, eidem Cardinalis Academiae ſcholam regendam commiſit, quod munus ad id tempus fuerat Praefecti ſtudiorum. Huic etiam quotannis praefationis onus impoſuit in publica ſtudiorum inſtauratione, qua quidem re cum omnibus cumulatiſſime ſatisfecit, tum Cardinalem, qui bonas artes vehementer fovebat, ita ſibi devinxit, ut is ſtudiorum Praefecto, viro ſane praeſtanti, ſed laboribus defatigato auctor

fuerit, ut eo ſe munere abdicaret. Hoc munere, quod ſtudia omnia complectitur, auctus Facciolatus, ſcholis omnibus aemulatione excitandis animum adjecit; ſed curam potiſſimum linguarum ſuſcepit. Id illi viſum eſt juventuti accommodatiſſimum, quae cito abitura in Seminariis inſtituitur: idque ipſum eum impulit, ut, adjuvante praeſertim Aegidio Forcellinio cariſſimo diſcipulo ſuo, ſeptem linguarum, ut vocant, Calepinum, qui multis ſcatebat erroribus, corrigeret augeretque. In tanta re tamque immenſa, cui viri ſummi manus an. MDCCXV. admoverunt, vehementer adeo atque vigilanter elaborarunt, ut quatuor admodum annis expurgatus, auctus & perpolitus liber fuerit, non quidem ut debuit, ſed ut potuit, urgente quotidie typographo. Placuit Latinitatis ſtudioſis, & invidiam, quam commoverat, extinxit. Hinc crevit animus, & majus aliquid cogitare coeperunt. Itaque novum condere Latinae linguae Lexicon aggreſſi ſunt, quod voces omnes, varioſque earum uſus complecteretur, qua in re mirabilis adeo utilitatis fructum attulit Facciolato Forcellinii opera

huic ſtudiorum generi jam aſſueti, planeque dicati, ut vix ille in pleraſque litteras quippiam conferret praeter conſilium, in multas autem ne conſilium quidem. Quadraginta prope anni excurrere, antequam finis immenſo pene operi impoſitus fuerit; & quod antea Facciolati nomine circumferebatur, Forcellinianum Lexicon coepit appellari. Forcellinius tamen ipſe, ut erat vir non tam doctrina, quam modeſtia ſumma, meritas laudes ſemper tribuit praeceptori, quod, illo duce & auctore, quidquid boni praeſtitit, ſe feciſſe affirmaret. Eodem quoque, ſed non unico uſus eſt adjutore, cum & Graecum Schrevelii Lexicon adornandum Facciolatus ſuſcepiſſet, quod eodem tempore, quo Latinae linguae, Graecae etiam ſtudioſis conſulere volebat. Neque Italicam contempſit; quapropter poſtquam Nizolii Apparatum, Graecam grammaticam, Latinas Turſellinii particulas amplificavit, ornavit, Italicam orthographiam edidit, in qua verba propria, uſitata, nova, priſca, inuſitata cum quibusdam notis & Latina interpretatione condidit. Erat quidem perſuaſum Fac-

ciolato exercendam maxime juventutem eſſe in Graecis Latiniſque litteris, quod ab iis rerum magnarum ſcientia & omnis elegantia petatur; ſed illum adeo fortunae noſtrae & ſaeculi non poenitebat, ut Italos ſcriptores & Italicam linguam negligendam putaret. *Omnia Graece* (ajebat indignatus Juvenalis *) *cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine*, in quam reprehenſionem ne noſtri incurrerent, jubebat eos Italici ſermonis rationem naturamque inſpicere, ut neſciret, an quippiam eſſet in Latio Graeciaque univerſa ad res blande ſuaviterque efferendas accommodatius. Cum enim Graecis ac Latinis conſonantes litterae familiariſſimae ſint, & verba pleraque conſonantibus claudant, moleſtam quamdam moram pronuncianti afferunt, ut identidem haerere ac ſubſultare cogatur: Italus vero contra vocalium multo amantiſſimus ita eas per ſingula verba diſtribuit, ut nulla ſit junctura aſperior, claudicatio nulla, totaque oratio aequabiliter expediteque fluat. Quoniam vero omnes linguae

* Sat. VI.

egent praeceptis, normis & regulis, de Grammatica Latinam orationem habuit an.MDCCXI., quam qui audierunt, illum nova moliri ac de grammaticis ſtudiis mutandis cogitare ſuſpicati ſunt. Sed Facciolato de grammatica praeſertim Latina dicenti nil aliud in animo fuit niſi probare, tenellas anguſtaſque puerorum mentes immenſa illa regularum, appendicum, ſcholiorum farragine haud eſſe opprimendas, & vere dictum a Quintiliano, nil aliud eſſe grammatice loqui, quam omnino Latine non loqui, cum omnis Latinae linguae laus collocanda ſit in plena ac tereti compoſitione verborum, in colore & habitu quodam, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet, ſed tota permixta & temperata numeris aequabiliter conſtanterque feratur oratio, quod facile obtinebis a continua optimorum ſcriptorum lectione exercitationeque ſcribendi, fruſtra vero requires a Priſcianis, Donatis, Vallis, Sanctiis, Alvaris ceteriſque hujuſmodi formularum grammaticalium cantoribus. Cum haec oratio tota conformata fuiſſet ad Tullianarum exemplum, magno doctorum hominum plauſu comprobata fuit; quare hi

certatim monere Facciolatum non ceſſarunt; ut famae ſecurus ceteras edere non dubitaret, quas e ſuggeſtu quotannis habebat, aut de Humanitate, aut de Rhetorica, aut de Philoſophia, aut de reliquis diſciplinis, quibus inſtrui in publicis ſcholis adoleſcentes ſolent. Interea Cornelius Cardinalis e vita migravit. Addicendum itaque hominem vel abſentibus notiſſimum Academiae Patavinae hujus Triumviri cenſuerunt, antequam is ſucceſſori fidem ſuam obſtringeret. Logices docendae ei onus impoſuerunt, quod a Pappadopolo his verbis, ſane Facciolato honorificentiſſimis, narratur *. *Ad vacuam Logicae ſedem deſignarunt Triumviri Litterarii neque petentem, neque volentem eloquentiſſimum virum Jacobum Facciolatum Colonienſem*. Colonienſem appellat, propterea quod Conſilium Coloniae, parvae quidem urbis, ſed admodum cultae, eum civitate donarat. Cum propoſitum eſſet Facciolato, ſicuti in Seminario fecerat, magna cum cura & diligentia ſuos diſcipulos inſtituere, non duos tan-

* Hiſt. Gym. Pat. tom. I. cap. LIII. n. IX.

tum *Analyticorum poſteriorum* libros e ſuperiori loco more majorum interpretatus eſt, ſed domi quoque in privato ludo alias omnes Dialecticae partes abſolvit, e quibus unum corpus confecit ſaepius typis ſeorſim impreſſum, proxime vero additis etiam *Logicis Acroaſibus*, quas in Gymnaſio ad ſcholas auſpicandas quotannis habere ſolebat, & ſeparatim ediderat. Quale de hoc opere judicium fecerit intelligens vir Hercules Franciſcus Dandinius, juvat ejus verbis referre. *Ab hiſce Inſtitutionibus*, inquit in ſuo Meranio, *velim praeceptores Logicae non diſcedere latum unguem, non alio uti ordine, non aliis aut verbis aut ſententiis; ſunt enim & prudentia & elegantia atque eruditione inſignes, & ad eos, qui Logicae arti dant operam, oblectandos aptiſſimae*. Honorificentiſſima quoque ſunt, quae Antonius Genuenſis protulit de hoc Facciolati opere, quod tanta perſpicuitate & elegantia, tanto praeceptorum delectu ornatum dixit, ut nihil ſupra deſiderari poſſit. Cum an. MDCCXXXIX. logica ſchola metaphyſicae publico decreto conjuncta fuiſſet, Facciolatus vacandi veniam poſtulavit, ut ad

priſtina ſtudia rediret. Sed Magiſtratus nullo modo pati voluit, ut nomen ejus ex publicis Gymnaſii tabulis tolleretur; proindeque juſſit, ut, ſervato publici Doctoris nomine ac ſtipendio, Academiae Patavinae hiſtoriam, quam Pappadopolus ſcripſit & ad ſuam perduxit aetatem, ipſe perſequeretur & abſolveret. Paruit, & quidem eo conſilio, ut rem totam ab initio ordiretur. Sed quid? Tabularia invenit, alia deſerta & confuſa, alia pene vacua. Non tamen idcirco animum deſpondit, ſed totum ſe monumentis undique colligendis dedit, quibus tabularia implevit, &, catalogis confectis, ad uſum accommodavit. Ex his *Faſtos Gymnaſticos* contexuit, praemiſſis *Syntagmatibus duodecim*, quibus totam Gymnaſii rationem, originem, inſtituta, leges & munia complexus eſt. Quo confecto, Princeps confirmavit illi ſcribendi munus quidquid memoria dignum Patavino in Lyceo in poſterum contingeret. Poterat quidem tractatio hiſtoriae ampliſſimus eſſe campus Facciolato ad laudem. Sed cum ipſe nimis jejune res praeteritas attigiſſet, nec ſemper vere de praeſentibus judicaſſet, ex-

pectationem, quam ſui concitaverat, minime ſuſtinuit. Cum pervenit tamen libellus *Syntagmatum* in hominum manus, magno plauſu exceptus fuit, quod majora & omnino magna denunciare videbatur, quodque prudens ſincerumque Auctoris judicium & politiorem ejus elegantiam undequaque prodebat. Quare minime eſt mirandum, ſi eo in primis gloriaretur Facciolatus; qui poſtquam veſtibula & aditus ad Hiſtoriam Gymnaſii Patavini fecit illuſtres, cetera abjecte, timide atque ignave contexuit. Homo ſane gnarus faciendae orationis ad laudem quoque poetae aſpirare ſe poſſe putavit. Sed quae condidit tum Latina, tum Italica carmina, carent imaginibus, quibus pulſentur & delectentur animi, & ſine quibus nulla eſt poeſis. Inſidet tamen iis quidam elegantiae non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus color, ut facile hominem in veteribus ſcriptis ſtudioſe & multum volutatum agnoſcas. Hac profecto laude nulli erat inferior; & quod omnes praedicari de ſe & nominari volunt, laetitia geſtiebat, quoties audiebat efferentes homines ſuam excellentem praeſtantiam in Latina

eloquentia, & in omni Latine ſcribendi ratione *. Quanquam is eſſet, ut in primis conſuleret Ciceronem, ejuſque ſermone uteretur, non tamen abhorrebat ab Apulejo, hujuſque aequalibus, quoties accidebat, ut aliqua Latine dicenda eſſent, quae vel ii uni, vel primi dixiſſent: ſed ita iis utebatur, ut illos ad ſe, non ſe ad illos adjungeret, & illos ipſos quodammodo Tullianos efficeret. Idem autem elatus cupiditate famam colligendi ex pluribus diſciplinis (& ſane verſatile erat ejus ingenium, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret) & theologiam & moralia tractavit. Perplacet mihi libellus, in quo optimi civis officia complexus eſt, ſecutus maxime Ariſtotelem & Ciceronem, quos expilaſſe dixeris iis in locis, in quibus praecipua bene vivendi, conjungendi, colendi, diſſuendique amicitias praecepta continentur. Horum tamen delectus, pura & dilucida, & ad rerum dignitatem

* Inſtar omnium teſtimonium erit Joannis Georgii Walchii, qui in Hiſtoria Critica Latinae linguae p. 443. editionis Lipſienſis an. 1716. Jacobum Facciolatum appellat *lumen Latinae linguae*, *a quo Italia maxime illuſtratur*.

tatem apta & quaſi decora oratio, non mediocrem merentur laudem, ut praemia meruerunt a nobiliſſimis adoleſcentibus Piſanis, quos ſuis & alienis praeceptis inſtituendos ſuſceperat. Neque eſt celandum in iis rebus, quas litteris mandavit Facciolatus, ei propoſitum ſemper fuiſſe, ut non tam elegantiae perſpicuitatique, quam ut brevitati ſerviret, ſolitus dicere magna volumina magna mala eſſe, ipſa faſtidium parere, & onerare magis, quam ornare bibliothecas. Quapropter libenter carpebat eos, qui exiguum aliquem librum, qui bonus eſſet, ſcribere neſciebant, ſeque tanquam exemplum proponebat, qui paucis pagellis id aſſecutus eſſet, quod alii multis paginarum millibus vix obtinuerant. Verum quanquam longiora brevioribus non ſemper ſint anteponenda, confidentius tamen de ſe mihi pronuntiaſſe videtur Facciolatus, neque ignaviae ſuſpicionem omnino vitaſſe. Mirum autem videri minime debet, quod de ſe glorioſius interdum loqueretur, quod magnam collegerat doctrinae famam, qua permotus Luſitaniae Rex eidem, ingenti propoſito praemio, Praefecturam obtulit Collegii

nobilium adoleſcentium, quod Ulyſſipone inſtituerat. At ille aetatis jam pene exactae excuſatione uſus, obtinuit ab humaniſſimo Rege, ut bona ejus cum gratia in urbe Patavina, ſuoque in munere maneret. Detulit tamen ei omnem operam, quae in tanta terrarum longinquitate praeſtari poſſet. Credibile eſt non vanam oblationem fuiſſe, quandoquidem paullo poſt ingens munus planeque regium vaſorum Sinenſium ab eodem Rege Facciolatus accepit. Quod quidem munus & gratum per ſe, & eo magis etiam gratum, quod Facciolatus ipſum domeſticis uſibus deſtinavit. Nam ut in ſcriptione, ſic in omni re domeſtica, omnique vita munditiam, non affluentiam affectabat. Neque hoc praeteribo, quanquam nonnullis leve viſum iri putem. Cum hortulum haberet, nihil in illo plantaverat ac ſeruerat niſi quod optimum & rariſſimum eſſet; nec vile aut vulgare exiſtimabatur quatuor aut quinque pomis a Facciolato donari. Cum eſſet liberalis non excludebat ab uſu rei ſuae familiaris amicos, cum quibus omnia habere communia videbatur. Adeo vero illum tangebat aliorum in-

diligentia; ut non magis illorum miſereret, qui ſuam miſericordiam requirerent, quam qui minime efflagitarent. Non mirum igitur ſi ſupremae ejus tabulae ac voces nil niſi pietatem in pauperes prae ſe tulerint. Ut amicitiis eluxit, ſic inimicitiis minime caruit; nec deſunt adhuc qui libenter de ipſo detrahant, & ejus memoriam in invidiam vocare contendant. Ipſe autem, quoad vixit, malevolorum voculas contempſit, ſuaeque fortunae animo maximo velificatus eſt. Porro ſi tum in ſcribendo, tum in judicando de alienis ſcriptis ſe ſuis finibus, non iis quidem ampliſſimis, continuiſſet, non adeo multos habuiſſet ſuarum laudum adverſarios obtrectatoreſque. Vixit ad extremam ſenectutem valetudine ſecunda, attulitque ei mortem ileus VII. kal. Septemb. an. MDCCLXIX.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Orationes Latinae. *Harum multae ſeparatim emiſſae in lucem fuerunt. Primum eas collegit Joannes Manfrè, edidiţque Patavii an. 1744. in 8. cum praefationibus librorum, epiſtolis philologicis, Academicis commiſſionibus, Scholaſticis diſputationibus & vita Philippi a Turre. Idem Typographus Joannes Manfrè XXVII. Orationes a Facciolato conſcriptas, quarum nonnullae erant ineditae, an. 1767. typis Seminarii vulgavit.*

Logicae diſciplinae rudimenta ex optimis fontibus deducta, & Latine explicata opera & ſtudio Jacobi Facciolati in Patavina Academia Poſteriorum analytycorum Interpretis ad uſum privatae ſcholae. Venetiis 1728. apud Jo. Baptiſtam Albritium Hieronymi fil. in 8. *Haec* Rudimenta *ita contexuit Facciolatus ut de ſe praedicare potuerit Ciceronis illa in lib. de Invent. II.* Omnibus in unum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſſime praecipere videtur, excerpſimus, & ex varijs ingeniis excellentiſſima quaeque libavimus.

Acroaſes dialecticae. *Separatim editae primum fuerunt, mox relatae in librum, cujus eſt inſcriptio:*

Jacobi Facciolati logica tria complectens, Rudimenta, Inſtitutiones, Acroaſes XI. Venetiis 1750. typis Jo. Baptiſtae Albritii fil. in 8.

De vita Cardinalis Cornelii Epiſcopi Patavini,

Extat in Actis Eruditorum Lipſienſium an. 1722.

Ortografia moderna Italiana con qualche coſa di lingua per uſo del Seminario di Padova aggiunti in fine gli avvertimenti grammaticali : in Padova 1721. preſſo Gio. Manfrè in 4.

Lettera ſopra un teſto della Geruſalemme liberata del Taſſo. *Extat in Tom. I. operum Taſſi Venetae editionis* p. 397.

.... ſopra lo ſtudio della lingua Latina ſcritta a Gio. Battiſta Recanati. *Extat in Tom. I.* delle novelle della Repubblica delle lettere dell' anno 1729.

Epiſtola de ſignificatione vocis *Nepos*. *Extat* nel Supplemento del Giornale de' letterati d' Italia.

Jacobi Facciolati exercitationes in duas priores Ciceronis orationes : editio altera, cui adjuncta eſt epiſtola ad Quintum Fratrem Aſiae Praetorem de ratione regendae provinciae. Patavii typis Seminarii 1731.

Animadverſiones criticae in I. Litteram Latini Lexici, cui titulus = Magnum Dictionarium Latino Gallicum: collegit & vernaculo ſermone reddidit Petrus Danetius = Patavii apud Joan. Manfrè 1731. in 8.

.... in X. Litterarum ejuſdem Lexici. *Extat in collectione* opuſc. ſcientific. Calogerà tom. XIX. Venetiis 1739.

Scholia in libros Ciceronis de officiis, de ſenectute, amicitia, ſomnio Scipionis, paradoxis, deque petitione: Venetiis ex typographia Jo. Baptiſtae Albritii Hieronymi fil. in 8. magno. *Vertit etiam Fac-*

ciolatus in Italicum ſermonem commentariolum de petitione Conſulatus.

Monita Iſocratea Graeco Latina collecta & explicata: ſecunda editio locupletior. Patavii typis Seminarii 1741. in 8.

De Gymnaſio Patavino ſyntagmata duodecim ex ejusdem Gymnaſii faſtis excerpta. Patavii 175.. ex typographia Seminarii in 8.

Faſti Gymnaſii Patavini Jacobi Facciolati ſtudio atque opera collecti ab an. 1260. ad annum 1756. Partes III. Patavii typis Seminarii 1757. apud Jo. Manfrè in 4.

Sfera e geografia per le ſcuole de' fanciulli.

Il giovane cittadino inſtruito nella ſcienza civile e nelle leggi dell' amicizia. In Padova 1740. nella Stamperia del Seminario appreſſo Gio. Manfrè in 8.

Ciceronis vita litteraria Patavii typis Seminarii.

Vita & acta Jeſu Chriſti ſecundum utramque generationem divinam & humanam. Accedit Italicus Chriſti ſermo ex monte habitus. Patavii 1761. typis Seminarii in 24.

Vita & acta B. Mariae V. Jeſu Chriſti Matris ex Evangeliorum libris excerpta. Patavii 1764. typis Seminarii. Addenda libello de vita & actis J. C. in 24.

Narrazione compendioſa della vita di Gesù Criſto Signor noſtro e di Maria Vergine di lui madre. In Padova 1764. nella Stamp. del Seminario in 24.

Viatica theologica X. quibus adverſus religionis diffidia Catholicus Viator munitur. Patavii 1763. ex typographia Seminarii.

Epiſtolae Latinae CLXXI. Jacobi Facciolati in Patavina Academia profeſſoris emeriti & hiſtorici. Patavii 1765. ex typographia Seminarii in 8. magno.

Quem contulerit operam Facciolatus in Lexicon Calepini, nec non Nizolii, & Screvelii, in Latinas Turſelinii particulas, ceteroſque hujus generis libros ad Graecae Latinaeque linguarum ſtudium tum utiles, tum neceſſarios ſupra commemoravimus.

Digitized by Google

Angelus Fabronius
Jacobo Facciolato
S. P. D.

Niſi tua ſingularis humanitas jam effeciſſet, ut ego haberer in tuis, ornatiſſime Facciolate, ſatis profecto cauſſae eſſet ad conſequendam amicitiam tuam, quod vitam explicaverim Herculis Franciſci Dandinii. Qui enim fieri poteſt, ut illum non complectaris, qui in omnium aetatum memoriam producere, quantum in ſe fuit, curavit facta hominis non ſolum Juris, ſed & multarum facultatum peritiſſimi, tibique longa conſuetudine, morum integritate atque doctrina conjunctiſſimi? Habes cum his litteris illam ipſam vitam, & pro jure noſtrae amicitiae a te peto, ut in ea legenda virgam expedias, & quaecumque minus tibi probabuntur, corrigas. Intelligo enim quantum illi acceſſurum ſit ornamenti & auctoritatis ex cenſorio judicio, & notatione iſta tua. Narratur mihi ſaepe te ſolere contemplari Dandinii effigiem, magnamque ex ea delectationem capere, quod illa tibi vi-

deatur renovare congreſſus veſtros doctiſſimoſque ſermones. Utinam non ſolum corporis, ſed etiam ingenii, virtutumque ejusdem viri imaginem in hoc commentariolo poſſis agnoſcere, quod eſſet ad levandum laborem, quem in illo emendando perpoliendoque impendes, accommodatiſſimum. Ego quid a me tibi pro hoc aliiſque tuis beneficiis rependi poſſit non video. Sed ſi quid evenerit, in quo tu perſpicere velis ſtudium ac gratum animum erga te meum, efficiam profecto, ut intelligas, neminem tibi eſſe, quam ego ſum, amiciorem atque gratiorem. Venio nunc ad epiſtolam tuam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendere videris, quod in declarandis illuſtrium virorum vitis nimius ſim, & tanquam prodigus. Suſpicor illud minus tibi probari, quod nimis multa de illorum ſcriptis referam, & ambitioſe interdum de iis judicium interponam meum. Exiſtimo equidem nihil a te niſi ſapienter. Sed ſi demas narratori libertatem pluribus exponendi ea, per quae famam celebritatemque homines docti conſecuti ſunt, non dubito fore pleroſque, qui hoc genus ſcripturae leve & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis judicent. Exigeres a me, ut conſilia primum, deinde acta,

Digitized by Google

poſtea eventus ceteraque, quae pugnas comitantur, deſcriberem, ſi mihi de praeſtantiſſimo aliquo duce dicendum eſſet, quod haec ſeges atque materia fuerit illius gloriae, neque hac ipſa de cauſſa concedes mihi, ut paullo diutius immorer in exponendis iis, quae otioſus homo litteris conſecravit? Fuerit Imperatorum vita glorioſior, ſed non minus laudandi ſunt ii, qui totas aetates contriverunt in exquirendis aperiendisque ſapientiae fontibus, in erudiendis hominibus ad Dei cultum, ad jus naturale, civile, Pontificium, ad humanitatem, ad juſtitiam, ad modeſtiam, magnitudinemque animi, vel ſi vis etiam in oblectandis animis poeſis atque eloquentiae lenocinio. Horum vita profecto minus moleſta fuit hominum generi, quippe ad pacis artes provehendas unice converſa, eaque tota cognoſcenda eſt, ut ſit propoſita ceteris tanquam exemplar ad imitandum. Neque illud, quod a te dictum eſt, eſſe permulta de illorum prima inſtitutione, de moribus. de vitae curſu, quae pleriſque communia ſunt, atque idcirco omittenda, valde tibi aſſentior. Cum admovemus manum ad effingendam formam alicujus, quae tota fuerit animi & corporis imago, quae exercitationes ingenii, quae

Digitized by Google

cricula mentis indicandum putamus cum electione tamen quadam, ne minutiſſima quaeque conſectari voluiſſe videamur. Ut negligentia, ita nimia diligentia vituperatione digna eſſet; quapropter ſcriptori utendum eſt judicio quodam ſuo in ſecernendis, diſtribuendis, narrandiſque rebus, & non tam inſtruere, quam delectare debet ille lectorem, ejusque deſiderio dum conſulit, faſtidium atque ſatietatem vitare. Non audeo dicere me id effeciſſe; experiri tamen volui, num aſſequi poſsem, & dubitans plerumque, & mihi ipſe diffidens, exquirere ſoleo ab hominibus, qui teretes aures habent intelligensque judicium, num ſatis oneri atque muneri, quod ſuſcepi, me ſatisfeciſſe putent. Reliquorum, qui aut odio aut invidia ducuntur, quorum inſulſitatem atque ſtultitiam ferre ſaepe debeo, judicia non moror, eoſque aegris aſſimilare ſoleo, qui morbo inſanabili oppreſſi cibi ſuavitatem non ſentiunt. Hi quidem ſi quid litteris mandant, ita incompta atque inornata eſt eorum oratio, ut inopes humanitatis, atque inurbanos homines facile agnoſcas; & dum inſueti rerum majorum, diligenter inquirunt in minima quaeque, quo die, qua hora aliquid dictum, factumque ſit, & dum ſe

oſtentant, & dum de non neceſſariis vel futilibus rebus ineptiſſime multiſque verbis diſputant, neque vident quid res poſtulet, riſum mihi magis quam ſtomachum movere ſolent. Plura me ad te de his rebus ſcribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Illud addam unum me curioſiorem fuiſſe in exquirendis Dandinii moribus, quod rem gratam me facturum putavi Summo Pontifici Clementi XIII., cui maxime cordi erat (omnis enim honos, omnis admiratio, omne ſtudium ad virtutem, & ad eas actiones, quae virtuti ſunt conſentaneae, ab eo referabatur) ut immortalitati commendaretur vita hominis, in quo litterarum ſtudioſi habere poſſent illuſtre veteris ſanctitatis exemplum. Vale.

Romae III. Id. Decemb. MDCCLXVI.

Digitized by Google

Hercules Franciscus Dandinius.

Apud Caeſenates & antiquitate & gloria majorum clara eſt Dandiniorum familia, quam ortam Senis nobiliſſima Etruriae urbe in magnis Senenſis Reipublicae motibus in oppidum S. Archangeli primum, mox Caeſenam ſaeculo XV. veniſſe hujus civitatis monumenta teſtantur. Ex hac familia procreatus eſt prid. non. Novemb. an. MDCXCVI. Hercules Franciſcus Dandinius; natale vero ſolum habuit Anconam, quod ejus pater Hieronymus in hac civitate duxerat uxorem nobilem & probatiſſimam feminam Margaritam Fazioliam. Non diuturnum hoc matrimonium fuit, cum mors Herculis quadrimi matrem, & cum ea maternam familiam e medio ſuſtulerit. Ex quo factum eſt, ut ejusdem pater in Urbe Veteri alteram duxerit uxorem e nobiliſſima gente Gualteria, ex qua plures ſuſcepit liberos. Hi omnes patris diligentia bene inſtituti ſunt; ſed cum is vi-

Digitized by Google

deret Herculem docilitate ingenii reliquos ſuperare, Romam miſit, commendans & tradens eum fratri ſuo Anſelmo Dandinio, qui erat ex numero XII. virorum, qui in Collegio Signaturae Juſtitiae jus dicunt. Erat Anſelmus in adoleſcentes paullo difficiliori atque ſeveriori natura, quem ſic veritus eſt Hercules Franciſcus, ut ad ejus arbitrium & nutum totum ſe finxerit atque accommodaverit. Tantum vero eidem obſequens evigilavit in ſtudiis humanitatis, ut in iis tempora quoque conſumeret, quae alii concedere ſolent vel ad feſtos dies celebrandos, vel ad ludos, ceteraque oblectamenta, vel ad ipſam animi & corporis requiem. Hae erant exercitationes ingenii & curricula mentis. Quod quoque die legerat, atque a praeceptoribus audierat, commemorabat veſperi, in adverſaria etiam conjiciebat quaeque excellentiſſima, quae ex variis ſeu Italis, ſeu Latinis, ſeu Graecis ſcriptoribus libaverat: nam eodem tempore tribus in his linguis erudiebatur, ſed praeſertim Latina excolebat; & hoc maxime ad formandam ſibi Latinam orationem conduxiſſe arbitratus eſt, quod totos

tres Ciceronis *de Officiis* libros Italos prius fecerit, mox Italos factos Latinitati reſtituerit. In his deſudans, atque elaborans in morbum incidit; cumque ſanguinem evomuiſſet, vehementer diuque aegrotavit. Vix recuperata valetudine, praetermiſſa litterarum ſtudia repetiit. Itaque triennium fere operam dedit cuidam religioſo viro e familia Eremitarum S. Auguſtini, qui non vulgari cum plauſu Romae Peripateticam philoſophiam tradebat; mox ad rerum divinarum ſcientiam ſe applicuit, in eaque quadriennium verſatus eſt, magiſtro primum Ambroſio Anſano Tontuccio e Dominicana familia, mox Dominico Antonio Briccialdio e Societate Jesu. His quidem doctoribus plurimum deditus fuit, ſed non propterea ullus dies illi ab exercitationibus humanarum litterarum vacuus erat. Tali modo cum ad nonum & decimum aetatis annum perveniſſet, admirabili quodam ad Juris prudentiam ſtudio concitatus, totum ſe tradidit viro ſummo Jano Vincentio Gravinae. Hoc praeceptore, non ad jejunam & nudam juris prudentiam ingreſſus eſt, ſed ad illam magnam atque uberem, quae ad cogni-

tionem legum hauſtam e fontibus adjungit omnis antiquitatis notitiam, verborumque elegantiam. Qua in facultate adeo Dandinius profecit, ut facile illum omnes poſſent Gravinae diſcipulum agnoſcere. Magno quoque eidem adjumento fuit patruus, qui in omni judicio, quod ſibi faciendum erat, Herculem non modo participem, ſed etiam adjutorem eſſe volebat: interdum etiam jubebat alicujus cauſſae defenſionem ſuſcipere; neque his contentus ſtatis diebus ad ſe convocabat doctos homines, ſtudioſosque adoleſcentes, quibuscum Hercules exercebatur in explananda interpretandaque lege aliqua, diſputandoque in contrarias partes de omni, quae poneretur, judiciali quaeſtione. Hi labores, magni ii quidem, ceſſationem aliquam liberam & plane otioſam poſtulare videbantur ab adoleſcente, cui tenuis erat valetudo. Sed tantus in eo reſidebat induſtriae ac ſcientiae amor, ut ſoleret otii quoque & ruſticationis tempus in ſtudiis conſumere. Hoc tempore multum verſabatur in lectione Ciceronis, aliorumque antiquitatis ſcriptorum, a quibus ſibi ſuppeditari ajebat, ubi aures dicendi barbarie,

quae

quae in ſoro dominatur, deſeſſae conquieſcerent. Quo vero ſtilum exercitatione acueret, aureum illud Joannis Caſae opuſculum, quod *Galateus* inſcribitur, ex Italica lingua in Latinam convertendum ſuſcepit. Difficillima profecto res eſt pro dignitate Latine repraeſentare dictionis genus, in quo cum veneres pene omnes Italicae orationis inſunt, tum ſententiarum conciſae, humileſque comprehenſiones, quam rem cum ex Tranſalpinis hominibus duo Nathan Chitraeus & Nicolaus Fierbertus tentaſſent, multum quidem abſuit, ut ii perfecti munus interpretis explerent. Nam neque periodi ac numerorum ulla ab iis eſt habita ratio, nec ullius delectus in verbis, quae propria, culta, immo quae non barbara eſſent, adhibendis. Praeter quam quod non ſemel iis in hac interpretatione conficienda aqua haeſit, ſic ut loca aliqua intentata reliquerint. Nihil eſt hujuſmodi, in quo accuſari poſſit Dandinius, quin immo maximis ille extollendus eſt laudibus, quod talem elucubraverit *Galatei* interpretationem, in qua ubique incorrupta Latini ſermonis integritas apparet, & in qua tanta ineſt ſua-

vitas verborum numerorumque, ut facile poſſis in ea quaſi pictam Caſae in ſcribendo venuſtatem cernere. Quemadmodum autem natura ex una re aliam educit ejusdem generis, ſic labor, quem Hercules Franciscus in *Galateo* impendit, laborem non diſſimilem procreavit. Itaque conſcribendos ſuſcepit Latinos dialogos de quibusdam officiis ad urbanitatem pertinentibus, ut eſſet unde ad ea, quae in hoc genere *Galateus* tradiderat praecepta, corollarium adderetur. Quae autem docuit in his dialogis Dandinus, voluit illa exemplis declarare. Quare plurima Graecorum, Latinorum, Italorumque ſcriptorum loca in medium profert, conferenſque ruſticitatem unius cum alterius urbanitate (fecit hoc idem Caſa in quibusdam Dantis & Petrarchae carminibus) quid cavere, quid ſequi nos deceat, ante oculos ponit. Scribendi ratio, quam in his dialogis adhibuit, eſt culta, pura, ſuavis, lenis & preſſa, ſine inopia & jejunitate, ſatiſque apparet dialogos Ciceronis philoſophicos, quod & ipſe in praefatione teſtatum voluit, ſibi propoſuiſſe ad imitandum. In primo dialogorum, ut de ſin-

gulis pauca perſtringamus, reddit & exponit rationem, quare *Galateum* ex Italico Latinum fecerit; nonnulla quoque perſequitur de perfecta interpretandi ratione; & ſimul oſtendit rem eſſe magni laboris ac difficultatis. In ſecundo multis probat rationibus, quarum plerasque ab Ariſtotele mutuatus eſt, urbanitatem virtutem eſſe, ejuſque praecepta e morali philoſophia deduci. Dicturus ſigillatim de quibusdam urbanis officiis initium ab iis ſumit, quae in ſalutatione & in primis congreſſionibus obſervanda ſunt. His tertio in dialogo expoſitis, tranſit ad ea, quae ad ſermones & ad ornatum ac geſtum corporis pertinent, in iiſque explicandis totus verſatur dialogus quartus. Demum quintus tribuitur explicationi convivalis urbanitatis, de qua utiliſſima praecepta dat; neque negat plura eorum, illa praeſertim, quae ſunt de convivali ſermone, ſe ex Plutarco ſumpſiſſe, quoniam ejus convivia magis, quam aliorum antiquitatis philoſophorum, ſunt exculta officiis urbanitatis. Neque eſt praetereundum, multa in his dialogis occurrere, quibus auctor oſtendere conatus eſt, Virgi-

lium in iis ipſis rebus, quas ab Homero mu-
tuatus eſt, hunc longe multumque ſuperare
(loca enim utriuſque inter ſe conferuntur)
obſervatione decori urbanorumque officio-
rum. Placuit Dandinio opus hoc inſcribere
Otium Aricinum, propterea quod in Aricino
illud elucubraverat iis feriarum forenſium
temporibus, quibus ibi cum patruo ruſticari
ſolitus erat. At priuſquam haec perficeret at-
que ederet, aliud conſcripſit opus, quod &
ſibi & patriae glorioſum fuit. Etenim ad-
notationibus illuſtravit Hiſtoriam Caeſenae,
quam Italicae ſcripſerat Caeſar Brixius, &
Franciſcus Maria Fancinus in Latinum ver-
terat. Profecto Brixius nimis properans ac
feſtinans pleraque in hac Hiſtoria niſi ſum-
matim attigerat, quae ut dilatarentur, plu-
rimum ad laudem illius urbis intereſſe Dan-
dinius putavit. Ille igitur multa in me-
dium protulit teſtimonia ac monumenta, ne-
que ea minuta, ſed gravia & grandia, quae
mirabiliter Brixium reſque Caeſenatium illu-
ſtrant. In his adnotationibus ſunt nonnullae,
quae non ſolum explicant hominum res ge-
ſtas, ſed etiam qui fama, nomine excellue-

rint, & de eorum vita & natura haud pauca commemorant. Optaſſet Dandinius illuſtrium familiarum origines ſubtexere, ſed cum Brixius nullum ſibi ad hanc rem aditum dediſſet, ſuperſedendum duxit. His confectis adnotationibus, egit cum Batavis typographis, qui curam ſuſtinebant edendi *Theſaurum Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiae*, ut eae cum Brixiana Hiſtoria in *Theſaurum* illum referrentur. Quod facile obtinuit. Quare autem idem ſub ficto Herclei Dinundae nomine latere voluerit, non ſatis ſcio. Verum is ſuis civibus diu haud potuit occultari. Hi pro tali munere in Dandinium grati nihil ſibi reliqui fecerunt, ut ſua in illum amoris ac ſtudii conſtarent officia; ac praesertim honores eidem tribuerunt ampliſſimos eo tempore (id fuit anno MDCCXXIV.) quo ille ad eos venit, ut lauream ceteraque doctrinae inſignia acciperet. His ab eo acceptis cum praeclaro iudicio praeſtantiſſimi ingenii & perfectae eruditionis, in eam praeſertim curam incubuit, ut valetudini conſuleret, patriique caeli aſpirationem adeo ſalubrem expertus eſt, ut qui non bene ſanus,

gracilisque Roma profectus fuerat, valens pinguique habitu ad eam ſeptem fere poſt menſes redierit. Hoc tempore magnam junxit amicitiam cum Alexandro Cecchinio viro non ſolum ſcientia juris, quod in Urbe magna cum laude exercebat, ſed etiam optimis artibus eruditiſſimo, & cum eo quaſi quamdam ſocietatem & communicationem ſtudiorum inſtituit. Optaſſet ille per omnes recentiorum juris Interpretum libros excurrere, ſperans ſe multa ab eorum fontibus poſſe haurire, quae immenſam ſuam proficiendi ſitim explerent; ſed obſtabat patruus plus aequo antiquitatis amans, verensque ne ab iis praeſertim, qui jus naturae & gentium tractarunt, adoleſcens ſumma integritate & innocentia pravis imbueretur opinionibus. Itaque ſi quem horum ſcriptorum is in manus ſumebat, occulto id facere cogebatur. Ab juris exercitationibus disjungebat ſe interdum, ſeque ad manſuetiores muſas referebat. Hinc Latinae quaedam orationes ſane nobiles atque elegantes, quae alieno nomine ſunt editae. Vel antea jam Hercules Franciſcus dederat ſpecimen ſui ad eloquentiam ingenii

in ea, quam an. MDCCXVII. in patria habuit, Italica oratione de Principe Eugenio Sabaudo, laudans & efferens eum a fortitudine, prudentia atque pietate. Nullus ſane erat campus, in quo magis exultare poſset ejus oratio, cum ex bellica laude nemo aſpirare ad Eugenium auderet. Idem cum cooptatus fuiſſet in Academiam Quirinorum, vernacula quoque oratione diſſeruit de antiquorum Fecialium jure, quae quidem oratio & elegantia & eruditione omnibus probatiſſima fuit, aditumque ei patefecit ad amicitiam Cardinalis Laurentii Corſinii, qui eidem Academiae praeerat. Neque ſtudiis eloquentiae contentus attigit poeticen quoque, ſed quae condidit carmina ſeu Itala, ſeu Latina, quamvis ea concinna ſint & elegantia, declarant tamen eum caruiſſe illo quaſi furoris afflatu, ſine quo Democritus quemquam poetam magnum eſſe poſſe negat. Interim Dandinius, jubente patruo, conſilia inire coepit ducendae uxoris, duxitque in patria an. MDCCXXX. Iſabellam Fattiboniam, feminam virtutibus & nobilitate claram, cum qua ad extremum vitae ſpiritum vixit con-

junctiſſime, & ex qua undecim ſuſcepit liberos. Sexto menſe poſtquam has nuptias contraxerat Hercules, patruum amiſit, a quo ex aſſe heres factus eſt. Haec res illi cauſſa fuit magnarum perturbationum, propterea quod pater in liberos, quos ex ſecunda procreaverat uxore, propenſior iniquo ferebat animo, hos fratris ſui bonorum exheredes eſſe. Itaque non ſinebat Herculem niſi tenues ex hac hereditate percipere fructus, quibus vix ſe ſuamque familiam ſuſtentare poſſet. Quibus anguſtiis cum premeretur, maximum in ſua virtute ſuiſque in ſtudiis levamentum reperiebat. Cum jam non amplius Urbem cogitaret, ac ſedem domiciliumque ſuum in patria collocaſſet, in hoc ſibi quam maxime elaborandum putavit, ut ſui cives eſſent opera, ſtudio ac labore ſuo doctiores. Itaque domum ſuam tanquam ludum quemdam aperuit non ſolum jus diſcere cupientibus, ſed etiam omnibus iis, qui ſe ceterarum doctrinarum optimarumque artium amatores profiterentur; horumque utilitati quo magis proſpiceret, eadem in domo ſua Academiam inſtituit, cui *Philomatorum* nomen im-

poſuit. Academicis leges quasdam dedit; has vero ita ſcripſit, ut haud pauca earum verba retineant venerandam illam antiquitatis effigiem, quae in XII. Tabularum legibus eſt expreſſa. In hoc quoque magnopere profuit civibus ſuis, quod omnibus de jure conſulentibus reſpondebat, quodque illo arbitro ac diſceptatore plures diremptae ſunt lites. Accidit interea ut Caeſenates ſingularibus a Clemente XII. ornati beneficiis (per eum enim gradus, honores, juraque ampliſſima, quae ſibi adempta fuerant, recuperarunt) aeternis vellent monumentis memorem atque gratum animum ſuum teſtari. Itaque tanti Pontificis ſimulacrum e marmore in Praetorio poſitum fuit, & invitati ii, qui laude ingenii ea in civitate florebant, ad ejusdem Pontificis munificentiam celebrandam cum ſoluta, tum obſtricta pedibus oratione. In hac re praecipuae partes fuerunt Dandinii. Nam is Latinam attulit orationem, attulit quoque Latinum carmen & elegiam, quae quidem omnia ſcripta ſunt elegantiſſime & ſententiis & verbis. His ille rebus effecit, ut maxime coleretur a civibus ſuis. Multa quoque &

ornate & honorifice de eo praedicabant abſentes, ad quos aut fama de illius doctrina, aut ipſius ſcripta pervenerant; florebatque jam doctiſſimorum virorum familiaritatibus. Sed non magis vir doctus, quam bonus paterfamilias haberi ſtudebat, quam utramque laudem collegit eo, quem, ut filiis ſuis praeſertim conſuleret, Latine & Italice ſcripſit, dialogo de ratione pueros adoleſcenteſque erudiendi in bonis artibus ac diſciplinis. Argumenti utilitas hortatur nos, ut plura de hoc libro referamus, quam inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur. Statuit primo delectum haberi oportere ingeniorum, quae idonea ſint ad bonas artes ac diſciplinas adquirendas; haec benigne liberaliterque inſtituenda, cum permagni referat, ut ſuos praeceptores ament, & cum voluptate ſtudia litterarum excolant. Tranſit inde ad rationem docendi, tradendique praecepta, aitque hanc ita eſſe temperandam, ut brevis ſit, ut commoda, ut jucunda adoleſcentibus. Jure igitur ac merito eos vituperat, qui ſinunt pueros plures annos in unius Latinae linguae rudimentis conſumere, cum Latinae orationis

formandae regulas ab uſu & conſuetudine Latinorum ſcriptorum petere neceſſe ſit. Hinc jubet pueros, poſtquam capita quaedam praeceptorum grammaticae perceperint, quae certa ſint, firma, ac ſtabilia, ſtatim duci ad claſſicum aliquem ſcriptorem, quem ſine intermiſſione verſeut, memoriae tradant, in Italicum ſermonem convertant, habeantque veluti unum ex familia, quocum magiſtri ope familiariſſime loquantur ac vivant. Explicat quibus gradatim libris uti illi debeant, exiſtimatque initio iis minime attingendos eſſe poetas, ne poeticas locutiones ſolutae orationi incaute admisceant, & monſtra quaedam pariant. Poſtea vero quam adoleſcentes in ſuavi non minus, quam utili elegantiſſimorum librorum lectione ita ſe exercuerint, ut jam non Latinam ſolum orationem, ſed etiam illius veneres ſint aſſecuti, cenſet iis dandam eſſe operam dialecticae. Non tamen vult eosdem miſere torqueri illis ſpinoſis diſputationibus, quas barbari quidam Scholaſtici invexere, quare ipſos delegat ad Arnaldi librum, qui inſcribitur, *Ars cogitandi*, aut ad *Inſtitutiones Logicas* Ja-

cobi Facciolati. Morem diſputandi in conſtrarias partes non negat plurimum habere utilitatis ad acuenda ingenia, verum placere ſibi, ut ea in quaeſtione ponantur, quae pertinent ad hominum mores, aut ad civilem populorum ſocietatem. A dialectica ducit adoleſcentes ad geometriam, cujus inter ceteras utilitates illam potiſſimum recenſet, quod mentem ſic informet, ut haec rectum ordinem agnoſcat ac ſequatur in omni ſcribendi loquendique ratione. Hoc confecto curſu, tunc jubet adoleſcentes ingredi ſtadium rhetoricae ac poeticae, quarum artium praecepta ex lectione maxime optimorum tum oratorum, tum poetarum haurienda eſſe putat. Optare ſe dicit, ut hoc tempore Graecas litteras cum Latinis iidem conjungant: quaedam eaque utiliſſima, allata Julii Pogiani viri docti epiſtola, differit de recta ratione imitandi veterum ſcripta, cujus rei exempla permulta profert, quae manu veluti ducunt adoleſcentes cum ad recte inveniendum, tum ad ſcribendum eloquenter. Haec ſunt curricula, hae exercitationes, in quibus ingenioſi adoleſcentes, qui manſuetioribus

muſis initiari cupiunt, verſari debent. Neque iis quoque deeſt, qui ad majores facultates aſpirant, nempe ad philoſophiam, reconditiores res mathematicas (his tamen rebus ille non erat niſi leviter tinctus) theologiam, pontificium atque civile jus. Indicat enim quibus libris tanquam ducibus uti debeant; & hoc ignoſcatur velim jurisconſulto, quod de ſola juris prudentia plura tradat, quam de ceteris omnibus, quas memoravimus, diſciplinis. Nihil vero in hoc libro ponit Hercules Franciſcus, cujus continuo rationem non proferat, quanquam paucis aliquando compreheuſam. Qua in re imitari voluit ſcientiae juris civilis conditores illos elegantiſſimos Alfeuum, Papinianum, Ulpianum, ceteroſque, in quibus aſſidue legendis fatetur ipſe multum ſe & poſuiſſe temporis, & hauſiſſe voluptatis. Satis de hoc libro dictum erit, ſi hoc unum adjunxero mihi affirmaſſe hominem, qui fuit intimus Dandinio, hunc auctorem eſſe orationis de moderanda ſtudiorum ratione, quae in eumdem librum relata eſt, quaeque Turrio in Archigymnaſio Romano juris prudentiae interpre-

ti tribuitur. Quoniam vero hanc ſuſceperat perſonam Hercules Franciſcus, ut optimae adoleſcentium inſtitutioni conſuleret, rem perquam utilem ſe facturum putavit iis, qui ad juris prudentiam exercendam ſe applicuerunt, ſi rationem traderet declinandi immanes illos barbariſmos, quos perverſa conſuetudo in forum invexit. Quid ſunt porro *apodiare*, *retinere ſub manica*, *antidata*, *cavamentum*, *palata*, *unum petium terrae*, *depoſitare in banco*, *reportare ſuum recapitum ſeu receputam a bancherio*, *juvenis negotii*, *defectus non adimplementi tractamenti*, *tractamentum*, *repartimentum*, *deducere praetenſionem*, & innumera alia hujuſmodi foediſſima monſtra? Haec acriter perſequitur Hercules Franciſcus in eo, quem confecit, dialogo *de forenſi ſcribendi ratione culta atque perſpicua*; & ex Pandectarum libris, tanquam ex narthecio, promit medicamenta, quibus iſta ſanari poſſit contagio. Optandum eſſet quidem ne Dandinium forenſem barbariem emendare ingreſſum e curſu ipſo aliae res tum privatae tum publicae revocaſſent. Eodem ferme tempore edidit commentariolum *de ea diſtribuentis Juſtitiae*

parte, quae in praemiis largiendis verſatur. Quaerere ſolebat Dandinius, quid eſſet, cur, cum multa theologi, philoſophi, ac juriſconſulti ſcripſerint de juſtitia, hanc partem, in qua magna eſt laus atque utilitas, aut praetermiſerint, aut non niſi leviter tetigerint. Factorum igitur ſe operae pretium exiſtimavit, ſi in id incumberet, ut oſtenderet, in praemiis largiendis certas juſtitiae regulas eſſe, quas negligi nec aequitas nec honeſtas patitur, adeo ut qui meritus honores non ferat, tam conqueri poſſit, quam is, cui pactum non ſervetur, aut data in ſtipulatione fides frangatur. Docte eruditeque examinat ad praemium obtinendum quid aetas, quid genus, quid majorum praeclara geſta, quid natale ſolum, quid propria cujuſque conferant merita; & quae demum honorum petitio honeſta exiſtimanda ſit, & diſtribuenti juſtitiae conſentanea. Hoc porro commentariolum nuncupavit Triumviris Patavinae Academiae, totiuſque rei litterariae Moderatoribus; rationem autem nuncupandi hanc ſe habuiſſe dicit, quod ii ſe praeberent exemplum illius juſtitiae tum in eligendis viris inſigni doctrina praeſtanti-

bus, qui eo in Gymnaſio publice docerent; tum in praemiis pro cujuſque merito concedendis. Illi certe hanc laudem meruere, cum anno MDCCXXXV. eximio D. aureorum florenorum praemio Herculem Franciſcum invitaſſent ad interpretandos eodem in Gymnaſio Pandectarum & Juſtinianei Codicis libros. Accepit ille conditionem, & quod eſſet honeſtiſſima, & quod illius accipiendae ſuaſor eſſet atque impulſor Joannes Baptiſta Morgagnius vir ſibi maximis amoris vinculis conjunctus. Patavium igitur cum uxore & liberis autumno ejusdem anni conceſſit; & quamvis vir modeſtiſſimus illa ſe commoveri exedra diceret, in qua praeſtanti doctrina homines conſediſſent, talem tamen ſe praebuit, ut ſuperiorum gloriam aut vicerit, aut certe aequaverit. Ex quo factum eſt, ut ad ſtipendium quingenorum florenorum duceni breve poſt tempus adjungerentur, utque ad impoſitum munus hoc quoque novum adderetur, explicandi videlicet quidquid Novellis Conſtitutionibus continetur. Ac ne quis forte quaerat quam interpretandi viam ſecutus ſit Dandinius, juvat referre, quae ipſe epi-

ſtola

ſtola quadam ad amiciſſimum ſuum Joſephum Torellium Veronenſem ſcripſit. *Noſti morem interpretandi meum. Cum enim in unoquoque titulo Pandectarum capita, ſive leges, univerſe quidem ad unum genus juris attineant; ſed tamen ſi ſpectentur ſingillatim, varia de uno genere juris argumenta complectantur, ſic diſtributa, ut diverſas in ſedes ea, quae ſimilia ſint ac ſaepe eadem quoque, concurrant: ego certas conſicere claſſes opportunum cenſui, duas modo, modo tres, in quarum ſingulis convenientia inter ſe quaeque capita collocarem; ne primo aliquid attingere, mox aliud diverſum, rurſusque primum, deinde novum aliud, iterum ad primum, vel tertium reſilire, non ſine temporis diſpendio & auditorum moleſtia, opus haberem, quem ordinem, a me nullo duce inſtitutum, indicant eae tabellae, quas typis edo quotannis, exhibeoque ampliſſimis rei noſtrae litterariae Triumviris*. Neque eſt praetereundum nunquam Dandinium ſatis putaſſe legum ſenſum exponere, niſi ſimul oſtendiſſet, quibus ex fontibus illae manaſſent. Hinc multa ex Graecis & Latinis ſcriptoribus depromebat, multa ab hiſtoria, omnique antiquitate repetebat, & ſae-

pe etiam a philoſophia ac praeſertim morali lumen mutuabatur. Dixiſſes illum ſpoliare voluiſſe grammaticos ſuis divitiis, cum ad enodandos juris laqueos vocum origines rationeſque explicaret: non niſi utilia conſectabatur, & quotidie tamen aliquid minime vulgare, minimeque contritum adferebat: adjungebat ad haec miram Latini ſermonis elegantiam, adeo ut ſi ipſa loqui poſſet juris prudentia, non rectius, aut copioſius, aut ornatius, aut majori cum dignitate ſenſus ſuos explicatura videretur. Huic rei argumento eſſe poſſunt duodecim, quas an. MDCCXLI. in vulgus edidit, epiſtolae ad Joſephum Torellium, quem paullo ſupra commemoravimus, *de Servitutibus praediorum*. Hae enim continent eadem ferme illa, quae anno ſuperiori in ſchola idem tradiderat, cum VII. & VIII. Pandectarum libros interpretaretur. Quas qui legent, hoc maxime admirabuntur, quam acute atque erudite Auctor indagaverit illarum ſervitutum originem; quam ſcienter earumdem jura expoſuerit; quam nova multa attulerit de uſufructu illarum rerum, quae ſunt in abuſu, de uſufructu navis, ſtatuarum ac

gemmarum, maſſae aureae vel argenteae, ſeminarii ſive plantarii, arearum, aedium, harumque habitationis; quam expedite explicaverit difficiles in quibusdam legibus nodos; quam facile ſpecie inter ſe pugnantes leges conciliaverit; & quam recte multos interpretum errores correxerit. Neque contemnenda, immo ſcitu digna ſunt, quae arrepta a tempore, in quo ſcribebat, occaſione, cum lepide, tum ingenioſe differit de diſcrimine vocum *viridia* & *viridaria*, & quocumque te vertas, ubique interiorum ac reconditarum litterarum veſtigia agnoſces. Quapropter eos, quibus diſciplina juris ſqualidum quiddam ac deſertum videtur, facile erroris convinci poſſe arbitror, ſi ad has Dandinianas epiſtolas delegentur. Patavii cum eſſet, dulcem quidem & optatum capiebat fructum ex familiaritate & conſuetudine Joannis Baptiſtae Morgagnii, Joſephi Alaleonae, Jacobi Facciolati, Joannis Antonii Vulpii, aliorumque clarorum virorum, quibus ſemper illud Sapientiae domicilium abundavit. Aedes quoque frequentabat Card. Caroli Rezonici, qui tum Patavinam Eccleſiam, nunc orbem ter-

rarum, gentiumque omnium Catholicarum Clementis XIII. nomine ſapientiſſime ſanctiſſimeque gubernat. Huic enim eximie carus & jucundus erat, praeſertim propter ſummam in Deum pietatem, ſummamque morum innocentiam. Atque hoc non auditum, ſed nobis ab ipſomet Pontifice Maximo teſtatum praedicamus. Nam cum is aliquando pro ſua ſingulari benignitate paſſus eſſet nos ſecum loqui de viris doctrina claris, qui aut illuſtrant, aut illuſtrarunt Patavinum Gymnaſium, incidiſſetque in mentionem Dandinii, paucos ſe cognoviſſe dixit, qui cum eo integritate, religione, diligentiaque in liberis educandis certare poſſent; adeoque viri jucundiſſimi, & ab adolescentia amiciſſimi obitu ſe commotum fuiſſe, ut nihil propemodum ſibi unquam acciderit ad dolorem acerbius. Sciunt porro omnes experti, quanta vis ſit in amicitia, ſi hanc ſimilitudo naturae conjunxerit. Nec minus Hercules Franciſcus officia ſua praeſtitit abſentibus amicis, e quibus maxime dilexit Jacobum Baſſanum Vicetinum, e Caeſenatibus Angelum Serram, Patricium Righium, Ferdinandum Ghinium,

Stephanum Fiorevantium, e Provincialibus Sanctem Buchium, Joſephum Pintium & Hieronymum Ferrium, ad eoſque cum laxatus erat curis, quas illi docendi munus afferebat, crebras elegantiſſimaſque mittebat epiſtolas. Eſt in manibus hominum, quam ad Baſſanum ſcripſit de Benedicti XIV. Pontificis Opt. Max. laudibus. Carolo Fattibonio non ſolum amicitia, ſed etiam affinitate ſibi conjuncto, cum lite implicaretur, ea tribuit, ut plura a parente proficiſci non potuerint. Nam jura illius ſcripto defendit, & quibus aliis potuit rebus juvit. Longum eſſet commemorare ſingulos, quibus in judicialibus controverſiis conſilia dedit plena prudentiae ac fidelitatis. Thomae Emaldio Lugienſi paranti editionem elucubrationum Bartholomaei Riccii popularis ſui multam & utilem operam praebuit. Nam illius politiſſimi ſcriptoris vitam magna ex parte exaravit, haud pauca inedita ſuppeditavit, & ut quam emendate ac nitide Patavinis typis editio fieret curavit. Id intelligi volumus, nemini unquam, qui ejus ope indigeret, defuiſſe; quo fiebat, ut ejus amicitia omnibus eſſet cariſſima.

Beatum ſe exiſtimabat, ſi poſſet memor gratuſque accepti beneficii & eſſe & videri; quod autem ipſe tribuerat, tamdiu meminiſſe videbatur, quoad daret. Neminem etſi laceſſitus unquam laeſit, & in indulgendis peccatis facilem ſemper ſe praebuit; tanta vero erat patientia, ut nullus eum querentem audierit. At qui forti & magno erat animo in rebus ſuis adverſis perferendis, facile cum in amicorum, tum in ceterorum hominum miſeriis lugebat. Sed hoc in eo propter ſingularem ipſius bonitatem minus fortaſſe mirum videri poteſt. Vere enim hoc Graeci proverbio dicunt, bonos viros faciles eſſe ad lacrimandum; & miſerius eſſe carere omni ſenſu doloris, quam dolere. Si quis unquam fuit remotus & natura, & magis etiam ratione atque doctrina ab inani laude, ſimulatione atque oſtentatione, Dandinius profecto fuit: adeo vero ſimplex & purus, ut vel ipſa fraudis, machinationis atque avaritiae nomina ignorare videretur. Quae, aliaeque virtutes eo magis delectabant, quod apparerent in eo cum ſpecie quadam liberali, hilari & venuſta. Ludicra ſpectacula ab ipſa

adoleſcentia fugit ; & quo tempore plerique hominum ſolent feriati oblectationi indulgere , ille ſe in ſuam bibliothecam abdebat , ut aliquid aut legeret , aut ſcriptitaret . Ornabant hanc bibliothecam non modo feſtiva librorum copia , ſed etiam pictae doctorum hominum imagines , quarum ſingulis appoſuerat brevem , ſed elegantem explicationem earum rerum , quae magis eſſent commemorandae de vita illorum , quos repraeſentabant . Magnorum virorum exempla maxime incitabant Dandinium ad illa aemulanda . Quapropter nunquam cogitare deſtitit , quibus aliis poſſet ingenii monumentis , quam ſuſtinebat , publici Doctoris dignitatem ornare . Suſceperat expoliendos Latinos dialogos , quos ad emendandam barbariem forenſem deſtinaverat ; multa ex annuis interpretationibus in lucem hominum edere parabat , quo libro *de Servitutibus praediorum* alii comites darentur , ſed ab his , aliiſque laude quidem dignis rebus agendis eum abſtraxit mors , quam obiit VII. id. Nov. an. MDCCXLVII. Mortis cauſſa fuit apoplexis , quae eumdem jacentem in lecto (nam febricula labo-

Digitized by Google

rabat) corripuit. Sepultus eſt in Aede S. Aegidii, ut ipſe teſtamento praeſcripſerat. In ſepulcro vero Joannes Baptiſta Morgagnius, qui in primis amiciſſimi hominis caſum doluit, hoc inſcripſit elogium.

D. O. M.

HIC SITA SVNT OSSA
HERCVLIS FRANCISCI DANDINI
COMITIS ET PATRITII CAESENAT.
PANDECTAR. COD. AVTHENTICOR.
IN PATAVIN. GYMNASIO
INTERPRETIS CELEBERRIMI
GENERE DOCTRINA MORIBVS
PRAESTANTISSIMI
QVI VIXIT AN. LII.
OBIIT AN. DOM. CIƆ. IƆCC. XXXXVII.
VI. ID. NOV.

Caeſenates non ſolum luctu, ſed etiam juſtorum pompa, cenotaphio, & monumentis litterarum tanti civis mortem honorandam decreverunt, quod ad memoriam patriae laudis, & ad ſuperſtites excitandos ſpe gloriae plurimum conducere ſunt arbitrati.

OPERA EDITA

Orazione delle lodi del Sereniſſimo Principe Eugenio di Savoja per le vittorie riportate contro il Turco. *Extat in libro, cui titulus*: Componimenti degli Accademici riformati di Ceſena per le vittorie dell' armi Ceſaree ſopra de' Turchi. In Faenza per Gioſeffantonio Archi Stampatore del S. Offizio 1717. in 16.

Caeſaris Brixii ad Clementem VIII. Pont. Max. urbis Caeſenae deſcriptio a Franciſco Maria Faccino Caeſenate nunc primum ex Italico in Latinum ſermonem verſa, & Herclei Dinundae (*hoc eſt Herculis Dandinii*) adnotationibus illuſtrata ac locupletata. *Extat in* Theſauro antiquitatum & hiſtoriarum Italiae edito a Petro Burmanno, Tom. IX. Part. VIII. quae priorum Tomorum ſupplementi vicem praeſtat: Lugduni Batavorum ſumptibus Petri Vander Aa, Bibliopolae Civitatis, atque Academiae Typographi 1723. in fol.

Herculis Franciſci Dandini Caeſenatis Otium Aricinum, ſive de Urbanis officiis Dialogi V. quibus accedit ab eodem ex Italico ſermone in Latinum converſus Joannis Caſae Galateus: Romae ex Typographia Antonii de Rubeis &c. an. 1728. in 4.

Digitized by Google

Leges Academiae Philomatorum nuper in urbe Caeſenae inſtitutae Kalendis Januarii 1731. Caeſenae eodem anno in 8.

Oratio, Carmen, & Elegia, *quae laudes continent Clementis XII. Extant in libro, qui inſcribitur:* Alla Santità di noſtro Signore Papa Clemente XII. tributo di venerazione e gratitudine della Città di Ceſena per li decoroſi ed utili privilegj dalla Santità Sua ad eſſa reſtituiti. In Padova 1732. preſſo Giuſeppe Comini in 8.

Erminii ac Meranii dialogus, in quo Erminius ad Filium ſuum erudiendum inſtitutionem parat, Latine, idemque Italice conſcriptus, auctore Hercule Franciſco Dandinio, Patricio Caeſenate, Comite & J. C. Caeſenae typis ac ſumptibus Franciſci Antonii Blaſinii Typogr. Epiſc. 1734. in 4.

Herculis Franciſci Dandini Comitis & J. C. Caeſenatis, de forenſi ſcribendi ratione culta, atque perſpicua: Dialogus primus. Patavii 1734. typis Jo. Baptiſtae Conzatti in 4.

Herculis Franciſci Dandini Comitis & J. C. Caeſenatis de ea Diſtribuentis Juſtitiae parte, quae in praemiis largiendis verſatur commentariolus ad interpretationem legis XIV. §. de honoribus & §. Gerendarum de muneribus & honoribus. Patavii 1734. typis Jo. Bapt. Conzatti in 4.

Hendecaſyllabi *ſane fluentes & nitidi* ad Catullum a Joanne Antonio Vulpio commentariis auctum & illu-

ſtratum: *impreſſi ſunt cum eodem Catullo*, Patavii 1737. in 4.

De Pont. Opt. Max. Bened. XIV. laudibus epiſtola ad Jacobum Baſſanum S. J. Patavii apud Joſephum Cominum 1740. in 8.

Herculis Franciſci Dandini Comitis & J. C., & in Patavino Gymnaſio Pandectarum, Codicis Juſtinianei, & Novellarum Conſtitutionum interpretis, de Servitutibus praediorum Interpretationes per epiſtolas ad l·ca quaedam libri VII. & VIII. Pandectarum illuſtranda pertinentes. Veronae typis Seminarii 1741. in 4. magno.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

FRIDERICO MANFREDINIO MARCHIONI

S. P. D.

NOli putare quidquam me malle, quam deſideriis ſatisfacere tuis, tibique gratificari, cui, ut Plinii verbis utar, ſumma dignitas, ſumma ſtudiorum reverentia, ſummus amor ſtudioſorum, quique patriam tuam omneſque, qui nomen ejus auxerunt, ut patriam ipſam veneraris & diligis. Quod ſi haec, quae de Silveſtrio tuo exaravi, elegantiae aliquid habere tibi videbuntur, neceſſe eſt ut te ipſum laudes, quia nihil niſi ex conſilio & judicio tuo ſane prudentiſſimo feci. Obverſatur enim oculis tuis civis praeſtantiſſimi imago, quo neminem aetas noſtra graviorem, ſanctiorem, eruditioremque tulit, & de quo cum ſoleas multa narrare memoriter & jucunde, eum coepi diligere, poſteaque magis admiratus ſum, cum propius inſpexi. Homo, qui omne tempus perire putabat, quod ſtudiis, quod patriae non impertiebatur, digniſſimus quidem eſt,

cujus memoria poſteritati prodatur. Majores noſtri id ſpectabant in primis, ut religionem & generis humani ſocietatem incolumem ſervarent, operamque omnem atque induſtriam ad eas artes conferebant, quibus duo haec continerentur. Quapropter multi nunc queruntur ea maxime probari & eſſe in pretio, quae extrinſecus inducta facie pellucent, magisque oblectant, quam proſunt. Attamen non caret litteris hoc ſaeculum, abundat etiam, ſi nihil quaerimus niſi copiam, adeoque abſumus a reprehendendis iis, qui tempori ſerviunt, ut Plinianum illud uſurpare non vereamur; unuſquiſque contentus eſſe debet litteris saeculi ſui, easque colere, ut moris eſt. *Florent nunc etiam in Italia & extra Italiam Graecae Latinaeque litterae, non deſunt poetae & oratores, quae jacuere jamdiu philoſophica & mathematica ſtudia magno ſunt in honore, creata chemia, ad novam, ut ita dicam, vitam revocatae hiſtoria naturalis, res herbaria, medica & anatomica, ſordibus ſpoliata metaphyſica novaque luce illuſtrata, illud ipſum jus civile, quod aliquando ita erat jejunum, ut ſe triduo juris conſultum fieri poſſe Tullius in cauſſa Mureniana jactarit, magna eruditionis & do-*

ctrinae dote locupletatum, patefacti legum omnium fontes, vindicata hominum jura, rei publicae gubernandae ſcientia optimò in lumine collocata, enodatius & enucleatius expoſita hominis officia, & quae ſint rectae animi affectiones, quae diſtortae & pravae, ac ſublato veluti libertatis ſigno, invitati homines ad meditandum, inveſtigandum, experiendum, dejiciendoſque de antiquiſſima poſſeſſione illos, qui olim in ſcholis dominabantur, aut qui ſpecie tuendae religionis tyrannice vetabant quidquam in vulgus emittere, quod veram philoſophiam saperet. Quid plura? Hujus adeo amplificatum eſt imperium, ut nobis pene ſordeſcant vel ea, in quibus libera quaedam animi oblectatio quaeri ſolet, niſi adjumenta atque ornamenta quoque ſumpſerint ab hac laudandarum omnium artium parente. Sed cum multum dilatati ſint doctrinarum fines, plurimumque aucta diſcendi facilitas, vereri illud debemus, ne homines aeſtu quodam cognoſcendi omnia ſic ferantur, ita tanquam tempeſtate aliqua perpetuo jactentur, ut nunquam errandi finem faciant, nunquam in ullius doctrinae tanquam portu conquieſcant. Si verum quaerimus, non eſſet iſtud diſcendi deſiderium, ſed faſti-

dium, & ad coarguendam levitatem eorum, qui ſe omniſcios, *minus quidem Latino, ſed ſplendido glorioſoque vocabulo appellant, ſatis erit oſtendere, quanta & quam varia vel una diſciplina requirat & poſcat, & quantis ex artibus ipſa coaleſcat. Quam late patet phyſicorum mathematicorumque facultas! Quod univerſam mente comprehendere non potuerunt, plura in membra ſecuerunt, quibus in ſingulis elaborare atque excellere magnum eſt, omnia conſequi non poſſumus. Eadem ferme eſt ratio ceterarum facultatum, quae niſi ex multarum artium cognitione effloruerint, jejunae & imperfectae erunt; quapropter nunquam ſatis monere poſſumus homines, ut ex eo, quantum cuique datum eſt, metiantur ingenii facultates, ne in plura ac diſparia ſtudia illud diſtrahant, ne ſe aut communi* φιλαυτια, *aut fallacibus librorum inſcriptionibus, qui paucis chartis univerſam aliquam ſcientiam ſe comprehenſuros pollicentur, decipi ſinant, ut multam quidem dent operam litteris, ſed non multis, & ad eas, quas excolendas ſuſceperint, omnia referant, ut in iis non mediocres, ſed ſummi, ſed excellentes, ſed ſingulares tandem aliquando evadant. Noſti tu quidem, vir*

ampliſſime, quam libenter aut increparet, aut illuderet Silveſtrius adoleſcentes illos, qui caeco impetu abrepti ſibique nimium confidentes univerſum pene ſcientiarum curriculum conficere ſe poſſe ſperabant, & quos beato ac moderato ingenio praeditos inveniebat, blandiſſime appellabat, indicabat iis temeraria aliorum conſilia, nec dubitabat onus in ſe ſuſcipere, quamvis non ſeſiive modo, ſed etiam vere dictum a Luciano videatur; Jovem quem oderit illum pueris erudiendis addicere, iis rerum fontes, atque itinera ipſa demonſtrandi, dum eam ſpartam, quam ſibi ſumpſerant, & ad quam nati & a natura facti videbantur, nunquam deſererent. Id praeſertim praeſtitit in liberis ſuis, quos patriae ornamento fore ſperabat, non ſecus ac fuerunt Caelii, Riccobonii, Bonifacii aliique plures, quorum veſtigia tu quoque vivido, quo polles, ingenio ſecutus es, donec ex armis & bello gloriam quaerere tibi perplacuit. Sed accidit Leopoldi Principis noſtri ſapientiſſimi providentia, ut ad pacis artes, vel invitus, redieris, ex quo tibi liberorum ſuorum curam detulit, quibus ita conſulis, ut per eos aurea ſaecula reſtitutum iri confidamus. Vale.

Piſis III. Non. Martias MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Camillus Silvestrius

Camillus Silveſtrius Rhodiginus. Is tamen Patavii natus eſt poſtr. id. Junii an. MDCXLV., quam in urbem ſaeculo XVI., qua de cauſſa neſcio, majores illius commigraverant. Pater ipſi fuit Alexander, mater Anna de Angelis. Horum ſi virtuti nobilitatique par data fuiſſet fortuna, non is duro uſus eſſet initio adoleſcentiae. Patrem puer amiſit, coactaque mater rei familiaris anguſtia & cognatorum negligentia Rhodigium redire, ibi pudice ac parce vitam agebat. Sed cum fulgere jam coepiſſet in adoleſcentulo indoles virtutis, ipſeque cuperet animum ad juris prudentiae ſtudium adjungere, venit mater una cum illo ad Academiam Patavinam. Tum vero omnes omnia bona praedicere, & laudare fortunam ejusdem, quod filium haberet tali ingenio praeditum. Fecit hic periculum in utroque jure, cum ageret aetatis annum vicefimum primum, & laurea donatus eſt. Poſt haec redditus patriae Camillus, hoc unice ei propoſitum eſſe videba-

tur, ut in otio & negotio fraudata longa majorum abſentia civibus ſuis reſtitueret. Hoc patrium quoque exiſtimavit, uxorem ducere, rei familiari operam dare, quod bene adeo illi ſucceſſit, ut fortunati illi putarentur, qui tali ex genere talique ex parente nati eſſent. Uxor illius fuit Placida Campa Rhodigina, femina generoſa & nobilis, ex qua plures ſuſcepit liberos, quorum nonnulli vivunt adhuc ex paternis virtutibus ornati. Cum videret Camillus illos ſapere, intelligere, in loco vereri, inter ſe amare, ab iis ſe diligi, & magni pendi, eum quaeſtum maximum putavit, maxime ſervire eorum commodis & gloriae. Optimi patrisfamilias imaginem in illo potuiſſes intueri; tanta indulgentia erat in liberos, tanta pietate in matrem, tam fideli atque amico animo in uxorem, quam induſtriae ſuae in educanda regendaque familia ſapientem adjutricem habebat. Neque minus foris, quam domi egregius vir perfunctus eſt primis civitatis muneribus atque honoribus, & cum in omnibus diligentiſſimus fuiſſet, ſingularem tamen induſtriam adhibuit, cum ei mandatum fuiſ-

ſet omnem Rhodiginum agrum cenſendi. Quot exantlaverit labores in alienis ſcriptis colligendis atque perpendendis, quae ipſe per ſe didicerit, animadverterit, notarit nunc enucleare minime neceſſe eſt. Ex his quidem omnibus *Agrariam Hiſtoriam Inſulae Rhodiginae* contexuit, quam in duo magna volumina diſtribuit, & in qua multa induſtria & diligentia comparet, multa doctrina. Erat enim cupidiſſimus litterarum, in quibus tantos progreſſus fecerat, ut non facile reperire potuiſſes neque de Graecis, neque de Latinis, neque de Italicis litteris, quod ei fuiſſet incognitum. Sed praeſertim eum ad ſe ſe alliciebant ſtudia antiquitatis, cujus monumentorum erat cupidiſſimus, & cujuſvis generis illorum intelligentiſſimus. Nunquam ceſſavit in iis colligendis; & cum belliſſimum muſeum haberet, in quo erant multae Graecae & Latinae inſcriptiones, nonnullae etiam aeneae tabulae, numiſmata rariſſima, ſepulcrales urnae, idola, & quae ſunt hujus generis alia, hoc ſuppeditare ſibi ajebat, ubi animus publicorum munerum labore feſſus libentiſſime conquieſceret. Ornabant etiam

illud clarorum virorum imagines, quod facilius eorum glorioſa facta occurrant mentibus noſtris, ſi ora ipſa oculis proponamus. Haec non tam ad decus atque ornamentum Silveſtriae domus & Rhodiginae civitatis comparata erant, quam ad exercenda ingenia, quae conſilio bono antiquitatis monumenta interpretantur, explicant, consulunt, & quaedam eorum ad praeſentem etiam uſum flectere didicerunt. Minime ſilentio praetereundum putamus viſum Silveſtrio fuiſſe ſuperaſſe Craſſum divitiis, cum argenteum nummum Familiae Horatiae muſeo ſuo acquiſiviſſet, non illum a Trajano *cum nota reſtitutionis* conflatum, ſed antiquiſſimum, quem ex maximo raro nummorum genere judicare debemus: nam harum rerum peritiſſimi viri ad nos uſque illum minime perveniſſe pronuntiaverant *. Non eſt hujus loci cetera com-

* Patinius gloriari in primis videbatur, quod numiſma Horatii a Trajano reſtitutum poſſideret, cujus ſimile mortalium neminem poſſidere affirmabat. *Illud vero nudum & ſimplex*, ait ille, *ſeu absque ulla reſtitutionis nota ab aliquo Horatiae Gentis ſignatum fuiſſe mihi nullum eſt dubium, etſi neque illud vidiſſe unquam*

memorare, quae Silveſtrius induſtria ſumma comparavit, videbaturque Italos omnes ſuo exemplo excitare ad abigendos exteros homines, qui pecunia inſtructiſſimi ad nos veniunt praeclaram muſarum ſupellectilem abrepturi, ut hi intelligerent, Romanum Imperium Italis auferri potuiſſe, Romanas litteras non poſse. Ad has excolendas non mediocri illi adjumento fuit Philippus a Turre Adrianenſis & Rhodiginus Epiſcopus, cujus in familiaritatem vel ab adoleſcentia penitus ſe ſe dederat, quae quotidiana conſuetudine mutuiſque officiis ſic aucta fuit, ut nihil ea eſſet conjunctius. Haec fama de his hominibus jam percrebuerat, omnium, qui tum florerent, cognitione rerum antiquarum illos eſſe eruditiſſimos, invitabanturque, ut aliquid ex ſe promerent, quod alios delectaret atque erudiret. Sed Silveſtrius publicam lucem reformidare videbatur; dolebat etiam ſe eo loci vivere, qui non ſatis eſſet optimis li-

licuerit, neque a quoquam viſum intellexerim: Diſſertatio de numiſmate antiquo Horatii Coclitis. Silveſtrius nummus bracteatus eſt.

bris ornatus & copioſus. Lautam tamen ſupellectilem illum habuiſſe ex iis intelligi poteſt, quae ad illuſtrandos Juvenalem & Perſium collegit, de quo opere, quod maximum ſit eorum, in quibus Silveſtrius elaboravit, paullo latius dicendum arbitramur. Nemo eſt, qui ignoret eam eſſe interdum in his ſcriptoribus rerum & verborum obſcuritatem, ut non intelligatur oratio, quod ſive de induſtria fecerunt, ut Heraclitus cognomento, qui σκοτεινος perhibetur, ſive id exigeret ſcriptionis genus, & potentiorum metus, ſive id pariat morum, perſonarum aliarumque rerum hujusmodi ignoratio, quas carpere aut innuere illis perplacuit, magnam ii paraſſe videntur ſegetem & materiem gloriae conſequentium aetatum hominibus, qui eosdem explicandos illuſtrandosque ſuſcepiſſent. Propoſitum id fuit Silveſtrio ſuas ſic contexere animadverſiones, ut lectores tanquam in locupletem aliquam & refertam ornamentorum omnium domum veniſſent, ex ſuo opere ſumere poſſent quidquid fere ad Romanam eruditionem pertinebat. Horum ritus, diſciplina, mores, leges, ludi, facta il-

luſtria, temporum varietates fortunaeque viciſſitudines ſubtiliter & copioſe ab eo exponuntur, confirmat ſaepe rationes ſuas momonumentis antiquitatis; illuminat obſcura; corrupta reſtituit, nec cohibere ſe poteſt, quin interdum oſtendat fontes earum rerum, quae maxime commendant Romanam ſatyram, quales porro ſunt moralis doctrina, urbanitas & ſales. Paucis dicam: quidquid Latinum olet, hoc totum ab eo eruditiſſime excutitur, enucleatur, non ut ab conjectore & interprete, qui partes ab aliis relictas explere velit, ſed ut ab uberrimo explanatore, qui omne id, quod incluſum habebat in ſcriniis, in apertum proferre cupiat. Miror equidem illum parciorem fuiſſe in iis, quae ad Perſium pertinent, cui certe magis libuit latebram obſcuritatis adhibere; quique perpetuus & conſtans vitiorum exagitator, ſui ſemper ſimilis graviorum artium inſtrumento (in quo quidem non Juvenali modo, ſed & Horatio ſuperiorem facile dixeris) poeticam locupletavit. Non erudire modo lectores ſuos, ſed etiam delectare Silveſtrio propoſitum fuit, cum verſibus aut hendecaſyllabis, aut alio

metro in Italicum convertiſſet ſatyricos illos. Non uſus eſt verbis ſimiliter deſinentibus in Perſio, quod verſum, quem nos vocamus *ſciolto*, magis idoneum eſſe putavit ad exprimendam vim illam, qua adeo pollet poeta, ut quodcumque verbum emittat, id telum acerrimum eſſe videatur. Sed neminem adhuc novi poetam, qui ſibi non optimus videretur; & cum Silveſtrius multarum rerum ſtudia teneret, quae & doctrina & praeceptis & arte conſtant, non tamen admodum valebat natura, quae in poeſi maxime dominatur, ad pangendos verſus. Praeter quam quod in omni re, quam ſuſcipimus, quid difficulter fieri & quid facile fieri poſſit oportet conſiderare; & talis certe eſt Perſius, ut vis, quam habet ad frangendas potentias, vitiaque inſectanda, aliena lingua haud exprimi poſſit. Adde quod Silveſtrius mitiſſimo erat ingenio, & ea ſatyrae eſt natura, ut vehementem & atrocem orationem requirat, quam fruſtra expectes ab homine leniſſimis moribus. Severe fortaſſe agere videbor, quod Silveſtrii opus tantummodo laudandum putem pro eruditione & notitia rerum antiquarum, qua illud

ornatum & refertum voluit; ſed haec ipſa non mediocris eſt laus, ad quam pauci, aeque ac ipſe, iis temporibus poterant aſpirare. Niſi homo modeſtiſſimus refugiſſet edere multa, quae paraverat, ad haec ſtudia antiquitatis pertinentia, abſentibus teſtatior fuiſſet ejus doctrina, quam ipſius cives & vicini ita ſuſpiciebant, ut ſi quidquam ex muſeo Silveſtrio diceretur, ex oraculo dici putarent. Atque etiam in eo libro, quem de chronologia ſcripſit, ſe litterate peritum monumentorum antiquitatis oſtendit, cum iis uſus fuiſſet ad celebriores dirimendas quaeſtiones, aliorumque ſententias perpendendas. Tres in partes illum diviſit, quarum prior exhibet ſeriem annorum ab Orbe condito ad annum aerae communis I., ſecunda ſeriem eamdem percurrit ab excidio Trojae ad obitum Conſtantis II., tertia haec omnia confert, & viros recenſet, qui iis temporibus aliqua illuſtri laude floruerunt. Extat etiam Commentarium * in Graecum anaglyphum Argenidis

* Librum ſic inſcripſerat; *Anaglyphum paucis ab hinc annis effoſſum, nunc primum in lucem editum a*

ipſi a Carolo Torta teſtamento legatum; ſed haec licet abſolutiſſima, minime tamen a ſe obtinere potuit, ut, dum erat in vita, in lucem proferret. Ex quo intelligi poteſt in ſumma doctrina ſummaque fama, quod eſt difficillimum, ſervaſse modeſtiam. Litteris enim utebatur ad vitam regendam, ad compeſcendos animi motus, & ad tempus, cujus ne minimam quidem partem vir, ſi quis unquam alius induſtrius, perire ſinebat, traducendum. Omnino oſtendebat ſe praeſertim in eo elaborare, ut omnis ejus actio aut cum ſui, aut cum aliorum utilitate eſſet conjuncta, ſolitus dicere, talem eſſe ordinem actionum adhibendum, ut quemadmodum in oratione coſtanti, ſic in omni vita ſint apta inter ſe & convenientia. Hinc hilare omnes perferebat ac patiebatur, cum quibus erat, iis ſe debebat, eorumque ſtudiis obſequebatur, advorſus nemini, nun-

Comite Camillo de Silveſtris Rhodigino cum ejusdem interpretatione. Editus liber fuit Romae anno poſt auctoris mortem. Edita quoque fuit typis Lipſienſibus, quam ſupra commemoravimus, *Chronologia*.

quam praeponens ſe aliis; quibus rebus fiebat, ut facillime ſine invidia inveniret laudem, & amicos pararet. Stabilis & perpetua permanſio in omni officio hominis & civis apparebat praeſertim, cum quippiam moliebatur ſibi a patria demandatum; nec quicquam erat vel graviſſimum ac difficillimum, quod ejus fidei, diligentiae ac prudentiae recte non committi poſſe videretur. Patriatum rerum cauſſa ſaepe legatus eſt Venetias, & ſaepe oratione aut iratos mollivit, aut diſſidentes flexit atque in ſuam ſententiam perduxit. Magno amore ſe inflammatum eſſe in patriam tum maxime oſtendit, cum ad bellum Peloponneſiacum binos liberos cum cohorte ſuis ſumptibus conſcripta miſit, qui cum occidiſſent, pater, licet utriuſque amantiſſimus, non ceſſit dolori. Satis enim vixiſſe eos putabat, qui vitam pro patria, pro religione fortiter dimicantes profuderunt, quique e vita abeuntes laudem ſingularem ſibi & univerſae familiae pepererunt *. Monu-

* Laus eorum, quae gratiſſima memoria Venetorum omnium incluſa erat, auctoritate etiam publica teſtata eſt, ut ex his litteris apparebit.

mentum iis poſuit in Aede S. Hieronymi ** ; invitavitque, qui ſupererant, liberos, in quibus bonam ſpem & magnam indolem eſſe

FRANCISCUS MAUROCENO DEI GRATIA
DUX VENETIARUM &c.

Univerſis & ſingulis Rectoribus & Rappreſentantibus noſtris quibuſcunque, nec non Magiſtratibus hujus Urbis noſtrae Venetiarum, eorumque Miniſtris praeſentibus & futuris, ad quos hae noſtrae pervenerint, & earum executio ſpectat, vel ſpectare poterit, ſignificamus hodie in Conſilio noſtro Rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infraſcripti, videlicet. Con la nave S. Marco, rimaſta incendiata nell'incontro del combattimento con le Sultane di Coſtantinopoli, ſono periti li due fratelli Aleſſandro e Primo Silveſtri, Nobili di Rovigo Feudatarj noſtri, che ſopra v'eſiſtevano con una delle due compagnie di quella magnifica città, da loro a proprie ſpeſe ammaſſata, e che veniva dai medeſimi con valore diretta. Aleſſandro eſſendovi alla teſta, come Capitanio, e Primo ſoſtenendovi la carica d'Alfiere. Camillo loro padre afflitto per la perdita di due figliuoli, che con fine lodevole di comprobare a più ardui cimenti la coſtanza dell'antica ereditaria devozione dei loro maggiori verſo la Signoria Noſtra, s'erano eſpoſti alli pericoli et alli travagli dell'armi, ricorre ed implora li ſoliti effetti della publica benignità, che come teſtimonj del publico gradimento vagliano a conſolarlo, & a porgerli qualche riſtoro. Al merito diſtinto de' figliuoli defonti, che per il corſo di

videbat, ad eorumdem glorioſa facta aemulanda. Porro ſi quis inſtituta & mores Silveſtrii, ejus in regenda familia ſolertiam ac

tre campagne, hora nelli preſſidj delle piazze di nuova conquiſta, hora ſopra le publiche Navi, & hora nelle ſuperate trinciere dei nemici ſotto Negroponte e negli aſſalti dati a quell' oppugnata piazza, non riſparmiando le proprie vite, diedero piene prove di coraggio e di zelo, ſinchè nel fatale preaccennato incendio terminarono l' intiero ſacrifizio di ſe ſteſſi, unendoſi il rifleſſo delle gravi giatture dell' addolorato padre, che con molto incomodo delle riſtrette fortune della ſua numeroſa famiglia, ſomminiſtrò loro i mezzi d' ammaſſare la compagnia, e di ſuſſiſtere nel ſervizio, ben ſi conoſce conveniente di renderlo conſolato, Però

L' anderà Parte, che il fedeliſſimo Camillo Silveſtri Feudatario noſtro ſia per atto della publica benignità inſignito del titolo di Conte con ſuoi figliuoli e diſcendenti legitimi in perpetuo, per godere di tutte le prerogative, preeminenze & immunità, che ſono proprie di tal grado, e reſti per ſempre con li ſuoi figliuoli & heredi ſuoi libero dall' obligo delli vinticinque Ducati annui; che li ſono ſtati impoſti in tempo di guerra, per il feudo, che da più ſecoli fu conferito, e ſi mantiene tuttavia nella ſua benemerita fedeliſſima caſa; onde appariſca il publico gradimento verſo il ſangue ſparſo de' figliuoli defonti, & il compatimento, con quale s' accompagnano le giuſte afflittioni del di lui animo. E li Proveditori

ſummum in cunctis rebus ingenium ſingularemque doctrinam paullo attentius inſpe-

alli Feudi ſiano incaricati di eſequire in conformità. Quare auctoritate ſupradicti Conſilii mandamus Vobis, ut ita exequi faciatis.

** In monumento haec inſcripſit Silveſtrius, qui ſe filiis titulum poſuiſſe ajebat, quem ſui ſibi filii debuiſſent.

D O M
ALEXANDRO ET PRIMO DE SILVESTRIS FILIIS
CARISSIMIS
QVI
ALTERI EX COHORTIBVS RHODIGINAE CIVITATIS
DECRETO
AD SACRVM BELLVM CONSCRIPTIS PRAEFECTI
TRIENNALIBVS TERRA MARIQ. MILITIAE MVNIIS
STRENVE PERFVNCTI
TANDEM CONFLICTV INTER DVAS NAVES
VENETAS CLASSEMQ.
TVRCICAM EHEV NIMIVM DISPARI MARTE
COMMISSO
VII. KAL. APR. MDCLXXXX.
ILLVSTREM MORTEM OPPETIERE
CAMILLVS PATER
HONORIFICO INDE TITVLO ET IMMVNITATE
PRO SE LIBERISQVE S. C. DONATVS
VT VENETAE REIP. MVNIFICENTIAM
ET B. M. FILIORVM NOMINA COMMENDARET
H P M

xiſſet, haud erat ſane quod fortitudinem & prudentiam, quibus maxime rebus egere homines ſolent, ab illo requireret; nam hae ita abundabant in eo, ut nec moeroris medicinam, nec agendi conſilia foris peteret, ſed ex ſua ſemper virtute depromeret. Atque id ipſum maxime contigit, cum coepit ipſe calculorum doloribus, aliiſque valetudinis incommodis conflictari, a quibus cum ſe ad mortem duci praeſentiret, mentis aciem, ac aetate, vigiliis, laboribus & morbo labefactatus corporis vires exacuebat, ad magis magiſque exequenda, quae ſunt Chriſtiani hominis, officia. Obiit poſtrid. non. Januarii an. MDCCXIX. Hominem, qui ita ſemper vixerat, ut ſuis jucundus, Deo gratus, hominibus fructuoſiſſimus eſſet, ſingularibus honoribus dignum cives illius cenſuerunt. Quapropter univerſa fere civitas exequias funeris proſecuta eſt, decretum, ut ſolemnis mortui laudatio eſſet, atque ei marmoreum monumentum publico in loco poneretur, in quo Juſtus Fontaninius hoc ſcripſit elogium.

CAMILLO CO. DE SILVESTRIS
PATRICIO RHODIGINO I. V. D.
QVI LITERARVM STVDIIS MAGNI
COELII VESTIGIA PROXIME SEQVVTVS
PATRIAM CVIVS GLORIAE COMMODISQVE
SVMMA
PIETATE ET PRVDENTIA CONSVLVIT
AEREIS ET
MARMOREIS PRISCI AEVI RELIQVIIS
VNDIQVE
CONQVISITIS ORNAVIT SCRIPTIS
ETIAM ET
NOMINIS SVI FAMA CLARIOREM
REDDIDIT
JOAN. PAVL. CASILINVS) II. VIRI
JOAN. DOM. RONCLAIVS EQ.)
CIVIT. DECR.
AN. MDCCXIX. CIVI OPT. H. M. PP.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe patriae dolor filiis praeter acerbitatem parentis erepti, cujus mandata voceſque, quas penitus animis figerent, lacrimantes exceperant, augebat moeſtitiam, nec ſolum per titulum *, ſed & per imitationem virtutum, qui verus eſt honos veraque pietas, ejus memoriam poſteritati propagarunt.

---

* D. O. M.

CAMILLO CO. DE SYLVESTRIS
I. C. HIST. CHRONOL. POETAE. ANTIQVITATISQ.
STVDIOSISSIMO V. B. ET OPTIMO CIVI.
QVI EX S. C.
COMES CREATVS ET INDE PRAESES VENETOR.
FINIVM
IN ACADEMIAS
RHODIG. PATAV. VENET. ET. ROMAN. ADSCRIPTVS
DECIES HVIVS REIP. RHODIG. II. VIR.
PLVRIES PRO PATRIA LEGATVS VENETIAS MISSVS
OMNIBVSQ. MVNERIBVS IN HAC VRBE PERFVNCTVS
MAGNA SVI PATRIAEQVE GLORIA EX HAC VITA
MIGRAVIT.
VI. IDVS JANVA. ANN. MDCCXIX.
VIXIT ANN. LXXIII. M. VI. D. XXIII.
FILII MOESTISSIMI PATRI OPTIME MERITO.
H. M. P. P.

ANGELUS FABRONIUS

JACOBO MORELLIO

Venetae Bibliothecae ad S. Marcum Praefecto

S. P. D.

Cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda magis vel a pueritia ſtudii fuit & temporis, quam Pontederae? Si ſingulas diſciplinas tenere magnum eſt, quanto magis plures, atque arte valere ea, quae didiceris, diſtincte, diſtribute, eleganter ornateque ſcribendi? Omnino Pontederae vita & oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate, & cum illae cunctis fuerint laudatae & cognitae, prolixiorem ſcriptorem nunc minime deſiderant. Juvabit tamen de homine, quo jure gloriatur Italia, nonnulla memoriae prodere, ne defuiſſe videar inſtituto meo & voluntati tuae, doctiſſime & amiciſſime Morelli, qui me ſaepe ad hujuſmodi ſcriptionis genus vocare ſoles. Sed velim mihi

ignoſcas, ſi hoc loco quaedam de re herbaria, cujus ſcientiam Pontedera praeſertim excoluit & illuſtravit, diſſeruero, non ut te inſtruam, qui omni eruditionis genere abundas, ſed ut adoleſcentium utilitati conſulam, qui diſciplinarum originem & progreſſionem noſcere cupiunt. Nobiliſſimae facultatis primum ortum inter mundi primordia procreatum arbitramur; nec mediocria ſane ejus apparent veſtigia in antiquiſſimis ſcriptoribus Moyſe, Heſiodo atque Homero. Quantum ejusdem apud Graecos, ut de Aegyptiis aliiſque antiquiſſimis nationibus ſileamus, viguerit ſtudium, ex Hippocratis ſcriptis intelligi maxime poteſt; & cum eſſet ipſe hac quoque laude clariſſimus, Cratevae tamen tantum tribuit, ut hunc αριϛον ριζοτομον appellaverit. Neque Cratevae, neque Ariſtotelis libri de plantis (nam qui hujus nomen praeferunt, ſuppoſitos eſſe conſtat inter eruditos) ſi fragmenta quaedam excipias, ad nos uſque pervenerunt. Quis dubitabit tamen quin excellentes fuerint, cum quae ſcripſerit Ariſtoteles de avibus, aliiſque rebus naturalibus, quae utilitate rei herbariae concedunt, etiam nunc admirabilitatem magnam efficiant? Hujus diſcipulus Theophraſtus ſexdecim libris diſſeruit de natura &

differentiis ſtirpium, earumque cultura & vegetandi modo, quasdam etiam in claſſes easdem diſtribuit, & quidquid litteris conſignavit, eleganti adeo veſtivit oratione, ut divinitate loquendi ſcribendique nomen invenerit. Minus eloquentiae, at ſapientiae fortaſſe magis apparet in Dioſcoride, quod characteres plantarum proprios, & quo ſuo quaeque proprio & certo vocabulo tum in Graecia tum in vicinis regionibus appellarentur, ſedulo inveſtigavit. Serius Romani, quanquam, ut ait Plinius, omnium utilitatum & virtutum eſſent rapaciſſimi, ſtudium hoc celebravere. Nam niſi devicto per Pompejum Mithridate, cujus de rebus medicis ſcripta Romam delata triumphi magnitudinem auxere, intellectum eſt, quantam vim haberet in medicina facienda herbarum cognitio. Tum culta a multis ſtudiosiſſime & quaeſtuoſiſſime fuit, memoranturque ex iis praeſertim Antonius Muſa ejuſque frater Euphorbius, & Aemilius Macer, qui rem herbariam verſibus etiam perſecutus eſt. Verum Romanorum nulli res herbaria adeo cordi fuiſſe videtur ac C. Plinio Secundo homini cuivis ſummorum ſuae aetatis vel ingenio, vel induſtria, vel fama ſuperiori. In opere, quod de hiſtoria naturali ſcripſit, quodque

non minus varium eſt, quam ipſa natura, copioſiſſime de ſtirpibus differit, adeoque varie, ut modo philoſophi, modo medici, modo ruſtici, modo hiſtorici, modo magici partes agat. Res undique collectas & comportatas eleganter deſcribit, ſed nullo ordine, & interdum aut vulgi, aut ſcriptorum, quos expilavit, opinionibus rapitur in errorem. Poſt Plinium ad Cubam uſque, qui exeunte ſaeculo XV. floruit, plane addicta res herbaria medicinae fuit, & eatenus culta, quatenus ad ſanandos morbos conduceret, cui rei teſtimonio eſſe poſſunt Galeni, Oribaſii, Aetii, Tralliani, Aeginetae, & Arabum, qui ab his dimanarunt, ſcripta. Quanquam nihil ineptius eſſe judicetur Horto Sanitatis *Joannis Cubae, laudatur is tamen, quod quingentarum & amplius plantarum figuras primus exhibuerit. Sed in his ſtudiis efferre eos maxime ſolemus, qui in generum plantarum diſtributione prudentiores fuerunt. Exeunte ſaeculo XVI. cum plurimum creviſſet magnorum virorum induſtria plantarum cognitio, & hinc aucta fuiſſet confuſa nominum multitudo, maximum docti viri arti herbariae lumen acceſſurum ſapienter judicarunt, ſi plantae eo uſque cognitae ex principiis quibusdam quaſi*

Digitized by Google

naturalibus ad certa genera revocarentur. Conradus Geſnerus Tigurinus primus omnium aperuit viam, quae quo homines intendebant duceret, & cum fructus, ſemina & flores eſſe notas ſtatuiſſet, ex quibus ſtirpium naturae & cognationes apparent, fundamenta Botanices jeciſſe videtur, quae pluribus deinde vitiis laboravit, quod ejus veſtigia non fuerint ſecuti, ſi unum excipias Fabium Columnam, qui poſt ipſum vixerunt. Quanta ſit laus tribuenda Caeſalpino noſtro, qui et ſuam quamdam propriam excogitavit methodum ad ordinate, ſeminum habita tantummodo ratione, diſponendas plantas, viderint eruditi. Sed minime neceſſe eſt de ſingulis dicere, quod ante Joſephum Tourneſortium nullus extiterit, qui methodum propoſuerit, quae plane naturalis eſſet, & ad ſpecies plantarum tribuendas in genera, & haec in claſſes, facilis atque expedita. In qualibet planta ſunt radix & ſemen ſeu fructus, unde & caulis in herbis, truncus in arboribus, folia & flores naſcuntur. Diligenter quaeſivit Tourneſortius, an genera plantarum conſtitui oporteret ex mutua quinque harum partium ſtructura quadam, an ex una tantum, eaque praecipua & inſigni magis, an ex pluribus inter ſe

conjunctis. Ac primum non omnes illae partes, ac ne quatuor quidem ad conſtituenda genera conſpirant, cum ne duae quidem plantarum ſpecies in omnium partium conſenſu, vel in quatuor aut tribus ſimul ſumptis conveniant. Nam tot fere genera, quot ſpecies ponenda erunt, ſi tanta partium cognatio ad genus aliquod conſtituendum requiratur. Sic quaedam ranunculorum ſpecies radices habent tuberoſas, aliae fibroſas, aliae grumoſas. Quod ſi partes quatuor ad definiendum generis characterem, ut florem, fructum, caudicem & radicem exigas, plantae ſpeciem, non genus deſignabis. Radicum & truncorum differentiae pauciores ſunt, quam ut generum varietatem pariant. Folia magis ad hanc rem idonea videntur; ſed ubi flores & fructus ſe produnt, tanta plerumque in iis apparet diverſitas, ut plantae, quae ob ſimilem foliorum ſtructuram ſunt perquam ſimiles, eodem genere cenſeri non poſſint citra magnam hujus ſcientiae confuſionem. Eadem eſt ratio florum, quae huic rei non ſufficit. Nam in pleriſque plantis diverſi generis conſimiles ſunt flores, uti in leguminibus, convolvulis, campanulis. Quare rationibus omnibus

ſubductis, duarum aut ad ſummum trium partium cognatio in ſtirpibus requiritur ad earum genera definienda. Radicum cum foliis comparatio eſt inutilis; ſic enim quae eodem genere, exempli gratia, ranunculorum continentur, ad plura genera eſſent referenda. Idem eveniet, ſi flores cum radicibus, aut folia cum ſeminibus comparentur. Reſtat igitur, ut flores cum fructibus conjuncti cum aliis floribus & ſeminibus conferantur: inſignes hae ſunt cognationes, eaeque animo fortius imprimuntur. Noverant id ipſum Geſnerus, Caeſalpinus, Columna; ſed horum nemo ipſa genera conſtituendi rationem indicaverat, quod poſtea viri, ſiqui unquam alii de re herbaria meriti, Moriſonius & Rajus praeſtiterunt. Cum autem ſola fructuum & floris contemplatio plerumque non ſufficiat eorum generibus apte diſtinguendis (ſic enim frumentum, ſecale, avena, hordeum & gramina pene omnia eodem genere cenſerentur, cum in iis eadem pene ſit fructuum & florum conformatio) genera ipſa plantarum in duplici ordine conſtituit Tournefortius, cum in priori ea collocaſſet, de quibus dictum eſt, quaeque ex ſola floris & fructus ſtructura pendent, in alte-

ra quae praeter duas illas partes omnino neceſſarias tertiam veluti ſubsidiariam requirunt, cujusmodi eſſe poteſt radix, foliorum numerus, nec ceterae ſolum plantarum partes, ſed & earum affectiones, creſcendi modus, habitus & facies. Non ſatis viſum eſt Tourneſortio plantas ad ſua genera ex naturae ipſius praeſcripto, non ex ſuo arbitrio, ut plerumque fit, revocare, ſed ipſa quaeque genera quaſi in claſſes atque ordines varios, quo dignoſci facilius poſſent, omnino tribuenda eſſe exiſtimavit; adeo ut genus eſſet inſtar cohortis vel ordinis militaris, claſſis instar legionis. Sic plantis omnibus claſſes duas ſupra viginti aſſignavit, quarum ſeptendecim herbae & ſuffrutices, reliquis quinque arbores fruticeſque comprehenduntur. Primae quatuor plantas floribus ornatas unico petalo (nam petalorum figura & numerus ſpectari in primis debent) complectuntur; proximae decem illas, quarum flores pluribus componuntur petalis; ex tribus, quae ſuperſunt, unam attribuit flores gignentibus imperfectos, ſive, ut vocant, apetalos & ſtamineos; alteram illis, quae floribus carere dicuntur, & ſemina tantum ferunt; tertiam denique flore & ſe-

mine deſtitutis, quae incertae *appellantur. Arbores porro & frutices eodem diſtribuit ordine, ſed his, ut pote paucioribus, pauciores claſſes aſſignavit, hoc eſt tantum quinque; alteram uno flore apetalo, ſive ſtamineo inſtructis; alteram amenta, ſive julos ferentibus; tertiam iis, quae monopetalum florem producunt; reliquas duas polypetalo flore donatis, ſive roſaceo ſive papilionaceo. Licuit ſane Tournefortio in hoc gloriari, nihil unquam ſimile antea excogitatum fuiſſe ad rem herbariam univerſam recte diſponendam atque facile memoria comprehendendam, nec ſatis dici poteſt quanto cum plauſu ejus* Inſtitutiones *ab omnibus exceptae fuerint, quantumque ſubito ſtudii extiterit, quamvis & Anglia ſuos Rajos, Germania ſuos Rivinios, atque methodos ab his inventas extolleret, exequendi in iisdem contenta praecepta. Quod ipſe tamen immenſi operis perpoliendi extremum laborem minime a ſe adhibitum eſſe affirmaverit, nonnulli, quorum in numero fuit etiam Pontedera noſter, ad optimi abſolutionem ac perfectionem ſe poſſe pervenire putarunt, ſi pauca quaedam aut dempſiſſent, aut addidiſſent. Sed evertendi plane Tournefortiani ſy-*

Digitized by Google

ſtematis conſilium coepit Linnaeus, cum ſtaminarum & piſtillorum, ſeu plantarum ſexus tantummodo rationem habuerit in MCLXXIV. generibus & XXIV. claſſibus plantarum numerandis. Quanquam minime ignoraverint vel antiquiſſimi rei herbariae Graeci ſcriptores eſſe ſtirpes in mares, in feminas, in androgynas diſtributas, parteſque illas, quas flores vocamus, nihil aliud eſſe nisi generationis organa, atque dari in plantis, ut Plinii verbis utar, veneris intellectum, mareſque afflatu quodam, & pulvere etiam foeminas maritare; *quanquam recentiorum plures a ſtaminis & piſtillis genera plantarum derivaverint, novi tamen ſyſtematis novam formam totam Linnaeo tribuere debemus, qui per illam non ſolum meliorem rei herbariae ſcientiam reddidiſſe, ſed pene creaſſe a pleriſque judicatus eſt. Quorum etſi laudabilior eſt defenſio, aliorum tamen etiam accuſatio probata ſaepe eſt, ex quo illud confici poſſe videtur, naturam varietate adeo delectari, ut ſoleat ſubiraſci iis, qui ſyſtematum ſtudio abrepti illam in parvum quemdam & anguſtum locum concludere adlaborant. Quaeſiiſſe tamen juvat rerum infinitarum*

ordinem, & , ut ita dicam, concordiam, celebrabiturque omnium ſermone Pontederae nomen cum aliis multis rei herbariae cultoribus, qui hujuſce rei inquiſitionem ſapientis hominis propriam eſſe putarunt. De quibus quod nunc longius, quam quod conveniens ſit commentarioli praefationi, ſcripſerim, videbor tibi mali architecti exemplum imitatus, qui magnifico veſtibulo aediculam ornandam ſuſcepit. Vale; & ſi qua erunt, quae te velle, quaeque ad ſtudia tua pertinere arbitrabor, omnia diligentiſſime pro mea facultate curabo; quae cum faciam, benevolentiam erga me tuam imitabor, merita non aſſequar.

Piſis XI. Kal. Jan. MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Julius Pontedera

Vetus & illuſtris quondam habebatur Piſis Pontederia familia, quae patrios lares deſerere coacta civilium bellorum & Florentinorum tyrannidis cauſſa, Veronae an. MDXXX. conſtitit. Hac in urbe Laurentius Pontedera uxorem duxit nobiliſſimam feminam Eliſabetham Sagramoſiam, & civitate donatus eſt. Hunc abavum habuit Julius, de quo ſcribendum ſuſcepimus; ſed hic Vicetiae ortus eſt non. Maii an. MDCLXXXVIII. ex Antonio Pontedera & Lucia Zanonatia. In collegio Vicetino, quod Somaſchi regunt, litterulis Graecis & Latinis imbutus eſt, & ex eo tempore conjici potuit ad botanicam provehendam illum genuiſſe & conformaſſe naturam, quod nihil tam delectaretur quam conquirendis colligendiſque herbis & floribus, horumque fabrica contemplanda. Domeſticis quoque exemplis & vocibus docebatur, ut omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius eſſe pu-

taret. Nam ejus patruus Laurentius Pontedera vel in primis egregius habitus eſt agricola; nec minus agricultione oblectabatur ejus uxor, iique cum liberis carerent, eduxerunt Julium a parvulo, habuerunt, amaverunt pro ſuo, nihilque tam ſtuduerunt, quam ut ei ruſticum fundum & urbanum hortum omni ſurculorum & ſtirpium genere refertos teſtamento relinquerent. Videbatur jam puero cum ditioribus poſſe contendere, quod hortum, ut vocant, ſiccum ſibi comparaſſet, in quo quingentae fere erant plantae belle ſane ab eo diſtributae atque deſcriptae. Sed quo cumulatius ſuo ſingulari ſtudio in rem herbariam ſatisfaceret, Patavium venit, ibique non botanicam modo, ſed & medicinam & philoſophiam excoluit. Magno tum in honore erant, ut nunc quoque ſunt, Academiae Patavina atque Piſana, ſed utraque ſuo cuidam proprio philoſophandi generi adhaereſcere videbatur. Piſani quidem philoſophi abutebantur ad omnia atomorum regno atque licentia, Patavini nihil non tribuebant Carteſiano aetheri, & in hoc communi & quaſi fatali malo caecabantur mentes erroribus, ne

admiranda Newtoni inventa poſſent adſpicere. Ex his duabus diverſis ſicuti familiis magni prodierunt mathematici, medici, botanici, anatomici, ſed nulli phyſici egregii, & cum in Carteſianos incidiſſet Pontedera, eorum more coepit ipſe quoque philoſophari. Sed in hoc ei favit fortuna, quod cum frequenter anatomiam exerceret una cum Jo. Baptiſta Morgagnio, quem ſicuti alterum parentem colebat, & ſaepe verſaretur cum Jo. Polenio in obſcuris naturalibuſque quaeſtionibus explicandis occupato, illam maxime foecundam & uberem philoſophiam eſſe intellexerit, quae obſervatione & experientia tota nititur. Jam ſe continere non poterat, quin peragraret, luſtraret, ac pedibus interdum obiret aſperas & montoſas regiones conquirendi herbas cauſſa, quorum laborum fructus egregius fuit opus, quod inſcripſit: *Compendium tabularum Botanicarum*, in quo CCLXXII. uſque plantae, quae ceterorum herbariorum oculos effugerant, referuntur. Magnis laudibus exceptus liber fuit non ab Italis modo, ſed etiam ab exteris; qui de his rebus judicare poterant. Haud diſſimu-

landum tamen eſt pluſculas varietates pro ſpeciebus Pontederae fuiſſe, ſed etiam varietatum inveſtigatio diligentiam poſcit atque laborem. Ex quo cum Triumviri Academiae Patavinae pernoviſſent ecquid ſpei eſſet reliquum, horti Patavini & botanicae cathedrae curam Iulio an. MDCCXIX. commiſerunt. Decretum illi ſtipendium fuit CC. aureorum florenorum, quod auctum biennio poſt ad quadringentos ac demum ad quadringentos ſupra millenos. Multo omnium ſe fortunatiſſimum factum eſſe putabat Julius, quod ingenio ſuo plane obſequi poſſet, agebatque Triumviris gratias, quod ſemina plantarum & plantas ipſas rariſſimas a remotiſſimis regionibus alieno ſumptu, cum copiolae ſuae non ſufficerent, ſuo & Academiae horto, qui & ſaeviſſimis tempeſtatibus, & Anteceſſoris negligentia ſenuiſſe videbatur, parare poſſet. Sic cum domi haberet, unde diſcerent adoleſcentuli, & cum plenus ipſe eſſet optimorum praeceptorum, nitebatur, faciebat, experiebatur omnia, quo rei herbariae ſcientia neque minuta neque jejuna appareret, ſed ut ſummam ſpeciem & digni-

gni-

gnitatem prae ſe ferret. Ut illa, quae diſperſa atque infinita eſſe videbantur, ratione quadam & ordine diſtribuerentur, Tournefortianam methodum, quae tum ſola in honore erat, maxima ex parte ſequebatur. Diligentia atque elegantia ſumma ponebat in conſpectu mentis, & quantum fieri poterat etiam oculorum, plantas, ſemina, flores, & quidquid ad eorum ſtructuram virtuteſque pertinebat, & cum adhiberet quamdam in dicendo ſpeciem atque pompam, efficiebat, ut ad ejus ſcholam magna concurreret adoleſcentium multitudo. Quae eſſet ipſius docendi ratio, ex iis cognoſci poteſt Diſſertationibus, quas anno MDCCXX. cum *Anthologia* quadam in vulgus emiſit. His quidem cum prius explicaſſet illa, quae de principiis, partibus, humoribus & incrementis plantarum tradi a philoſophis ſolent, & quid judicandum eſſet de Tournefortii methodo, ſuam quamdam proponit, qua quidquid ille Botanicorum princeps fati neceſſitate imperfectum & mancum reliquit, ſe poſſe perficere putavit. Primo itaque claſſium ordinem invertit, cum ei optimum viſum fuerit, ab imperfectis plan-

tis, ideſt ab incertis, initium capere, mox a perfectis, quales ſunt herbae ſuffruticesque, ad perfectiores, ad arbores videlicet ac frutices, aſcendere. Quare plantas omnes in duas diviſit partes, quarum in altera collocavit *incertas*, quae neque flores, neque ſemen, neque gemmas producere putabantur, in altera *certas*, quae ex ſemine naſcuntur. Incertis unicam aſſignavit claſſem, certas vero bifariam ſeparavit, hinc herbas & ſuffrutices, hinc frutices & arbores ſeponens. Inter has diſcrimen ſtatuit, quod herbae ſuffruticeſque gemmis extra terram priventur, arbores & frutices gemment. Primum gemmis carentes attigit, quoniam gemmiparis minus ſunt perfectae; & cum harum nonnullae ſemina tantum producant, flores nequaquam, has protinus a reliquis ſegregavit, & in primam certarum claſſem gemmas haud gignentium digeſſit: ſunt ſane hae imperfectiores, ſi cum flore & ſemine inſtructis comparentur. Reliquas omnes, quae flores & ſemina producunt, hoc ordine diſtribuit. Primo in loco poſuit, quae flores imperfectos ferunt, cujuſmodi plurimae ſtirpes ex illis ſunt,

Digitized by Google

quas Tournefortius in claſſe XV., cujus titulus, *de herbis & ſuffruticibus flore apetalo ſeu ſtamineo*, collocaverat. Sequuntur genera floribus perfecta & monopetala, quae in novem claſſes diſtribuuntur. Prima attribuitur generibus flore ornatis monopetalo ac *anomalo*, quod hic ob inaequalem figuram imperfectior videtur. Hanc ſequitur quae *labiati* floris plantas complexa eſt, cui proxima floris *campaniformis* claſſis, quae in quatuor ſecatur partes, cum hoc floris genus in totidem ſpecies a Tournefortio dividatur in *campaniformem* proprie dictum, *tubulatum*, *globoſum* atque *patentem*. Ab his ad floris *hypocrateriformis* claſſem gradus fit, cujus genera inter claſſem recenſebantur, in qua ea, quae flore *infundibuliformi* donantur, collocaverat Tournefortius. Haec Pontedera in novam recepit, cum hic flos ceteris forma diſſimilis ei videretur, quam ob rationem & claſſem, quae hanc ſubſequitur, flore *rotato* inſtructa genera continens, conſtituit, ab eadem infundibuliformis floris claſſe ſegregans plantas. Illa porro cum generibus floris infundibuliformis ſeorſum a reliquis commemo-

Digitized by Google

ratur. Hactenus genera; quae & Tournefortius in floris monopetali claſſes diſtribuit. Hic non ſolum a monopetalis, ſed etiam a polypetalis ſejunxerat genera illa, quae Pontedera tribus proximis claſſibus aſſignavit. Nam cum horum flores unico conſtare petalo vidiſſet, monopetalis adjicienda judicavit. Sed hos flores non *compoſitos*, ut Tournefortius, ſed *conglobatos* vocavit, quod plures calyce communi comprehenſi in capitulum colliguntur. Dividit in *floſculoſum & ſemifloſculoſum: floſculoſus* duas recipit differentias, ideo ille alterum *floſculoſum proprie dictum*, alterum *lingulatum* appellare ſolet. Genera itaque *floris floſculoſi lingulati* primae attribuit claſſi, *floſculoſi proprie dicti* alteri. Reſtabat flos *conglobatus ſemifloſculoſus*, cujus nulla peculiaris eſt claſſis, cum ſolus nulli plantae innaſcatur, ſed ſemper floſculoſum proprie dictum coronet. Propterea utrique flori Pontedera duodecimam aſſignavit claſſem, cujus titulus eſt; *de floribus conglobatis in radiata capitula digeſtis*. Hac ratione floris monopetali generibus diſpoſitis, ad polypetalos tranſit, in quorum recenſenda hiſtoria a Tournefortiano inſtitu-

to quoque declinat. Nam incipit ab iis generibus, quae floris figuras cum inaequalia ſint, ac inter ſe diſcrepantia, *anomala* vocant, quibus primam claſſem, quae ordine decima tertia eſt, attribuit. Parvo diſcrimine floris polypetali *papilionacei* claſſis ſequitur, cui, quae *liliaceum* florem amplectitur, proxima eſt: nam quae genera monopetalo flore hac in claſſe collocaverat Tournefortius, Pontedera per floris monopetali claſſes ex ipſius figura digeſſit. Quartam claſſem, ſive decimam ſextam caryophyllaeo flori attribuit, ſuaſque, ut Tournefortius, proprias claſſes conceſſit flori *cruciformi*, *roſaceo*, & *roſaceo umbellato*, quibus herbarum ſuffruticumque narrationem abſolvit. Supererant arbores & frutices, quos tali ordine diſtribuit. Octo claſſibus gemmiperas omnes comprehendit; duabus primis florem imperfectum gignentes; prima quidem, quae florem *imperfectum filamentoſum*, altera quae *apetalum*. Amentacei floris nulla ab eo habetur ratio. Quatuor aſſignavit gemmiparis flore monopetalo inſtructis; primam quidem *anomalum* ferentibus, alteram *campaniformi* ornatis, tertiam *rotato*,

quartam *infundibuliformi*. Duabus reliquis arborum ac fruticum genera collegit flore polypetalo donata, ſeptima ſcilicet, quae *papilionaceo*, octava quae *roſaceo*. Cum una claſſe comprehendiſſet *incertas* omnes plantas, octo ſupra viginti claſſium numerum idoneum eſſe putavit ad ordinandas plantas omnes, quae terra marique naſcuntur. Cum de his claſſibus vero, quas capitulatim attigimus, ut intelligant lectores quid Tournefortianae methodo ad illam perficiendam addere ſe poſſe putavit Pontedera, ſeparatim diſſeruiſſet, multa expoſuit nova, quae ſingularum plantarum naturam, proprietates virtuteſque ad ſanandos praeſertim morbos (nam hoc ab eo exigebant non ſolum medicinae ſtudioſi, ſed etiam Triumviri ipſi Academiae) declarabant, omnibusque patefaciebant, quam ille diligens eſſet naturae inveſtigator. Minime tamen eſt praetereundum homines in re herbaria ſummos *, qui ſummis laudibus extu-

* *Adanſonius in Praefatione libri, cui titulus: Familles des Plantes*. Cette méthode (du Pontedera) n'eſt que celle de Tournefort retourné un peu plus ſubdi-

lerunt ingenium & induſtriam Pontederae, haud acquieviſſe in illius methodo. Sed nemo ignorat tot eſſe in hac diſciplina methodos ſive naturales ſive artificiales, quot pene

viſée, & rendue par là moins facile. Elle eſt auſſi moins parfaite, parce que Pontedera a regardé comme abſolus les principes, ſur les quelles il l'a fondée, au lieu que Tournefort ſe prétoit en tout à la marche de la nature. Pontedera s' eſt contenté de propoſer le plan de cette methode, ſans la mettre en execution, & ſans en faire l' application ſur le divers generes de plantes, d' où il ſuit, que nous ne pouvons en porter aucun joujement. *Alio in loco ait.* Pontedera dans la v. de ſes Diſſertations diviſe, comme Tournefort, la famille des compoſées, qu' il apelle conglobées, en 3. claſſes, les demi-fleuronées, les fleuronées & les radiées, qu' il ſubdiviſe relativement à la figure du calice particulier de chaque fleur, & a leur receptacle comun en 24. ſections, dont 11. c. a. d. pres de la $\frac{1}{2}$ ſont naturales; ce qui prouve la bonté de la methode de Tournefort, & la ſuperiorité du travail de Pontedera ſur celui de Vaillant en ce partie. Ses 3. claſſes ou primieres diviſions ſeroient naturales, s' il n' avoit introduit dans la 2. la ſcabieuſe, le dipſacus & la globulaire, qui ſont étranges a cette famille.

fuerunt homines doctrina & ingenio praeſtantes, qui ad illam acceſſerunt; neque nos affirmare dubitamus, non adhuc inventam eſſe methodum naturalem, quae omnes partes, quae ad plantas pertinent, comp'ectatur. Cum vero Tourneſortianae methodi, in qua celebranda ſaepe exultabat & triumphabat Pontederae oratio, vis atque facultas ſita & collocata ſit in flore, ex cujus forma omnia plantarum genera (ſi incertarum imperfectarumque excipiamus) conſtituta atque in ordinem fuere digeſta, neque morte impeditus Tourneſortius ipſe floris naturam ſatis explicare potuerit, hanc rem peculiari opere tractandam ſuſcepit Pontedera; quod inſcripſit *Anthologia*. Poſtquam uno alteroque libro de floris partibus & uſibus praecipuis, & de philoſophorum quorumdam placitis in eo, quod pertinet ad plantarum foecundationem phyſicorum more diſſeruiſſet, exponit in tertio, qui totus eſt botanicus, floris differentias, quibus plantas cognoſcere, & in certas claſſes ac deinde genera digerere valeamus. Quo ſane loco multa a Tourneſortio aut non

recte tradita aut praetermiſſa reſtituuntur *. Non antea haec aggreſſus eſt Pontedera, quam

* Quod fuerit Alberti Hallerii de hoc opere judicium, hoc loco referre minime pigebit. *Primo libro* (inquit ille lib. II. Bibliothecae Botanicae p. 145.) *de flore agit, ejuſque multiplici ſpecie, ejus partibus & figuris, & characteribus inde ſumptis. Partes definit in ſexum in univerſum iniquior. Tournefortium paſſim corrigit, calycem melius per ſuas notas exprimit. Receptaculi, cui embryo innititur, dignitatem vindicat; idem per multas plantas deſcribit. Petali diverſas ſpecies per exempla exponit. Tubam praecipuam floris partem facit, quae a nullo embryone abſit, eamque vult aerem in fructum admittere, quo motus inteſtinus cieatur. Staminum varietates perſequitur & fructus. Stamina non ad foecundationem facere putat, cum in primis tubae paſſim tunc demum ſe efferant, quando ſtamina delapſa ſunt. Palmarum foecundationem aliter interpretatur, & caprificationem. Inde apetalas plantas partitur & deſcribit, tunc ringentes; liliaceas alias. Deſcribit ex data occaſione hyppurin (charam), aponogetonem (zanichelliam), palmas chamaeriphen, choddapannam, anpannam, ſchedapannam, toddopannam, jacaram, tengam; deinde dactyloides, myriophyllum, caprificum, erinosycen, triphylloides; hoc ex rigore methodi; ocimaſtrum (Valerianam calcaratam), alopecurum, linophyllum, corydalin (fumariam luteam), ſesban, oruum, aliaque genera, quorum characteres omnes per figuras additas declarat.*

cum regiones multas pedibus peragravit, quaerentique ex eo cauſſam tot laborum, tantorumque itinerum, *mel ſe auferre ex Hymetto voluiſſe* reſpondit. Nihil enim illi dulcius rei herbariae cognitione erat, quam ſcientiam ita tota vita coluit, ut ſi Michelium excipias, nullus Italorum ei par ponatur. Prima inſtitutio & quaſi diſciplina, illo, de quo ſupra dictum eſt, libro continetur. Multa alia paraverat, quibus ſapienter utebatur ad inſtituendos diſcipulos, ſed ea minime in vulgus emiſit. Cum eſſet campus ampliſſimus, in quo exultare poſſet ejus oratio, videbatur ei ſe nimis ſemper jejune agere, quapropter nunquam deerat modeſto homini excuſatio, qua reſponderet importune ab eo majora & poſtulantibus & expectantibus. Levia ſunt, ſi ejusdem ſpectes ſummam doctrinam, quae de lapatho, acetoſa & agrimonia Orientali, & de plantis lacus Benaci amicorum rogatu ſeparatim ſcripſit; talia tamen ſunt, ut per ea aliqua acceſſio fiat Botanicae, cum ex terra nihil emineat, quod diligenti contemplatione non ſit digniſſimum. Decreverat is omnes plantas Patavini agri & regionum, quae

illi proximae ſunt, deſcribere, quantamque induſtriam in id contulerit, ex epiſtola, quam ad Guillelmum Sherardum ſcripſit, quaeque extat in extremo *compendii tabularum Botanicarum*, conjici poterit. Nec minus laboravit de augendo deſcribendoque horto Patavino, cui unice famam, qua vel abſentibus erat notus, ſe acceptam referre dicebat: mirum vero videri debet illum tantum tribuiſſe diligentiae patrui uxoris, ut huic uni curam ejusdem horti daret, quando ab eo ob itinera in montes & campos diſcedere cogebatur. Profecto neminem extitiſſe putabis, cui aeque cordi fuerit munus officii ſui ſic exequi, ut per ſe quoque Patavina Academia celebraretur. Quo fiebat, ut in oculis omnium collegarum viveret, & gratioſiſſimus eſſet apud generoſos illos viros, quibus Venetus Senatus ejusdem Academiae curam deferre ſolebat. Imitatus Tourneſortium non ſe continuit in una ſcientia rei herbariae, ſed naturam, quam late ipſa patet, contemplatus eſt. Nomen gloriamque praeſertim ſibi addidit colendo etiam antiquitatis ſtudia, & quod ei omnis bene Latine ſcribendi ratio nota eſſet, quidquid

humanioribus litteris, manſuetioribuſque muſis conſecravit, ſingulari ornavit elegantia. Non parum ſane debemus Academiae Patavinae, quod ab ea ſtudioſiſſime cultae Latinae litterae fuerunt; & quoniam aetas noſtra ad ea patienda, quae rudioribus & inertioribus facere collibuit, exolevit, non convincam horum errorem, ſed dolenter renovabo memoriam eorum, qui exacuerunt aciem ingenii ad res graviſſimas comprehendendas, haſque Latii lingua, quae omnibus nationibus communis facile eſſe poterat, eleganter explicandas. Sed ad Pontederam revertor, cui cum a prima aetate plurimum ſtudii fuiſſet in colendo agro, multa quae ad Latinos rei ruſticae Scriptores illuſtrandos pertinebant, commentatus eſt. Id cum reſciviſſet Chriſtinus Martinellius Patricius Venetus ingenio & doctrina praeſtans, nullam fere hebdomadam abire ſinebat, quin ab eo verboſiores epiſtolas eliceret, modo de Catone, modo de Varrone, modo de Columella, ſaepius etiam de Plinio, quo in primis delectabatur, aliqua ab eo requirens. Perplacuit & illi, qui de gloria amiciſſimi viri vehementer laborabat, ut hic diligentiam-

conferret ad exornandam editionem eorumdem ſcriptorum, quam Lipſiae inſtituerat Thomas Fritschius, moxque perfecit Jo. Mathias Geſnerus. Non diu ſe exorari eſt paſſus Pontedera, condiditque tres epiſtolas, & *notas atque emendationes varias in Scriptores rei ruſticae Latinos veteres*, in quibus tantum comparet acumen atque eruditio, ut quam plurimum lucri ſe feciſſe Fritschius judicaverit, quod eas impetraſſet. Neque ad eas conficiendas Pontederae neceſſe fuit omnem cellam penuariam (ſic enim ſcrinium appellabat, in quo hujuſmodi ſcripta continebantur) exhaurire. Majora enim ſepoſuerat, alia poſtea collegit, quae omnia non mediocris fuiſſe laboris exiſtimabis. Nam qui de veterum ſcriptorum monumentis agere inſtituit, non ſolum quid ſenſerint, quid optaverint, quid effecerint homines moribus, inſtitutis, legibus, lingua diſſimillimi exquirere debet, ſed etiam omnia rimari verba, detruncata atque praetermiſſa divinare, ſupplere, inſerta atque aliena demere, varia operarum & interpretum diſcrimina perpendere, & veritatem e denſiſſimis tenebris in lucem vocare. Ut convin-

ceret Pontedera erroris eos, qui iſtam rem nihil vel laetabilis, vel glorioſi habere affirmabant, opus ſane magnum an. MDCCXL. in lucem protulit, quod inſcripſit: *Antiquitatum Latinarum Graecarumque enarrationes atque emendationes*. In his multa ſunt, quae ad rei ruſticae Scriptores pertinent, quibuſque queritur cum Geſnero, quod non eſſet habitus honor iis, quae ad ornandam eorumdem Scriptorum Lipſienſem editionem litteris conſignaverat. Profecto Geſnerus minime functus eſt amici officio, cum elaborata a Pontedera magna ex parte ſuppreſſerit atque condiderit, & quaedam etiam ex iis in rem ſuam converterit. Sed hoc durius accepit Pontedera, quam belli homines ſolent, ex quo hinc illinc ortae ſunt objurgationes, quae acerbitatis plurimum habuerunt. Cum vero ad Varronem & Columellam praeſertim vel explicandos, vel vitiis & mendis expurgandos perneceſſarium ſit ſtellarum motus, ut illorum aetas ferebat, anni priſci rationem, temporum viciſſitudines, intervalla, ſedes noſcere, multa hac de re perquiſivit, multa ſcripſit, glorians ſe non elaborare, ut actum haberet,

quod egerant viri in chronologia ſummi Petavius & Scaliger, ſed ut nova, quae illos ceteroſque effugerant, proferret. Principio igitur Chaldaicum annum cujus fama jam evanuerat, ex Herodoto atque Plutarcho contexuit, eumdemque in Romanam civitatem, ut ita dicam, recepit. Quo conſtituto, Boeotii anni, qui celeberrimus quondam viguit tum ſcriptorum ceu Heſiodi, Thaletis, Anaximandri, Hippocratis, Democriti, Eudoxi, Diodori Siculi, Plutarchi nomine, tum gentium nempe Boeotiae, Spartanae, Corinthiae, Syracuſanae nobilitate, hoc autem aevo extinctus jacebat, nec non Attici atque Olympici ambitus civilia principia in anno Romano patuere. Ab ultima deinde antiquitate repetitis annorum differentiis, de Dieteride, de Tetraeteride (qua Olympiades primum definiebantur, mox enim Octeateride uſa eſt Graecia) de Octeateride, de anno magno Metonico & Callippico, quae compererit, in tabulas digeſſit, quibus praecipuarum gentium inſtituta, Boeotiae, Spartanae, Corinthiae, Syracuſanae, Thebanae, Atticae, Olympicae, Macedonicae in duas ſectas di-

ſtributae, & Bithynae ſubjiciuntur & declarantur. Neque de civili tantum anno, qui res geſtas, qui magiſtratum auſpicia, qui ſacra & profana omnia moderabatur, haec animadvertit, ſed & ſolarem ex Graeca aſtronomia, quae foede lacera medicam expoſcebat manum, in hominum memoriam revocavit. Ad Latinos deinde converſus a Lavinii primordiis ducto initio, ad annum V. C. DCCVIII. quartumque Julii Caeſaris Conſulatum tempora certa ratione connexa ita deduxit, ut quantum Lavinio anno, quantum Albano, quantum Romuleo, quantum Pompilio ſive Romano attribuendum ſit, diligenti admodum cura computet. Neque his contentus de unaquaque periodo ſingillatim referendo, quae cognoſcere hominis erat, ſepoſitis fabulis, aut vera, aut veris propiora ex penitiſſima antiquitate derivavit. Idcirco in Trieteride Lavinia, qua tres anni lunares in orbem redibant, quid Calendae, quid Nonae, quid Idus (quarum nomina & ſedes receperunt Romani, uſus nequaquam) annis & mensibus definiendis conferrent, ita eſt aſſecutus, ut illius aetatis ſimul ingenii perſpicuita-

ſpicuitatem & acumen, ſimul in caeleſti diſciplina prudentiam admiraretur. In Albano vero Romuleoque annis, quorum modus idem, menſium intervalla diſſimilia, ſolis motum ſic metitus eſt, ut quinto quoque anno ſolaris orbis die praeiret; ſexto autem recederet civilis: quorum inconſtantia a Numa Pompilio ſublata, is Chaldaicum annum, qui ea tempeſtate propter Olympia celeberrimus in Graecia ferebatur, edixit, Terminalibuſque clauſit, CCCL. dies complexus, quibus altero quoque anno menſis intercalaris dierum XXX. quem Mercedinum vocarunt, & quarto dies, qui ex quadrantibus fit, Olympia & Myſteria Romana appellatus, inſerebantur. Hunc annum die tantum mox auctum, qui ex intercalariis exemptus poſt Reges ſacer habitus eſt, Regifugium a debellato Tarquinio dictus, per annos DCLXIX. fuiſſe Romae eodemque ſacra & civilia omnia comprehenſa primus omnium evulgavit Pontedera. Hoc igitur Romanae hiſtoriae fundamento poſito, facile fuit reliqua peragere, quae ad anni partes & diſcrimina, quaeque ad Conſulatus initia pertinebant, Quibus cognitis,

coepit deinde regulam ac viam conſiderare, qua Julius Caeſar ab anno Romano & Chaldaico ad ſolarem Aegyptium tranſitum fecit, ab eoque ſuum Julium annum expreſſit. Hoc in loco maxime ſe prodit acumen & doctrina Pontederae; & poſtquam ea omnia recenſuit, quae ſummam Caeſaris in aſtronomia prudentiam patefaciunt, ea expedire conatur, quae dubios animos facere potuiſſent, num Julius annus cum Aegyptio conveniret. Obſtabant praeſertim Ovidius, Plinius & Columella, ad quos explicandos & cum ſententia ſua conciliandos geminas fuiſſe anni normas ait, alteram quidem a Caeſare proditam, alteram, quae Italica ratio vocabatur, ab Auguſto inductam, cum Julium annum Italico caelo minus aptum, ut pote Aegyptium, emendaſſet. Macrobius ei facem praetulit, eoque duce tres illos auctores tum a vitiis tum a reprehenſione vindicavit. Sed reſtabant alia veterum monumenta, per quae ejus ſyſtema infirmabatur, ad quorum auctoritatem infirmandam ementita & falſa & plena erroris illa eſſe affirmavit. Quanquam aſſenſu eruditiorum multa argumenta Pontederae excepta fuerint, ii tamen

valde ipſum erraſſe judicarunt, quod Calendarium Ruſticum Farneſianum omnium ore celebratum neque vetus neque legitimum eſſe crediderit. Sed in his tam diſcordantibus ſententiis eſt tamen quaedam ſocietas atque conjunctio, neque quiſquam eſt, qui magnas non laudes tribuat ingenio, eruditioni & doctrinae Pontederae, qui adeo multa collegit, digeſſit, perpendit ad Graecam Romanamque antiquitatem pernoſcendam non modo utilia ſed etiam neceſſaria. Is cum librum inſtituiſſet ab emendandis Catone & Varrone, magnamque poſtea ejus partem conſumpſiſſet in chronologicis & aſtronomicis rebus pertractandis, tanquam ex longinqua peregrinatione domum deductus eſſet, ad Varronianam villam rediit, nihilque eorum omittit, quae explicatione atque emendatione indigere ſibi videbantur. Quo peracto, ad Columellam tranſivit, & quia in eo ſunt quoque multa ambigua & obſcura, & corrupta etiam librariorum aut negligentia aut inſcitia, eas explanationes adhibuit Pontedera, quae ſi prudentum judicio expendantur, pronuntiabunt ii a perfectione Geſneri opus non me-

diocriter abeſſe; hunc multa conatum eſſe, ſed majora etiam pro ſuo ſingulari acumine atque eruditione perfeciſſe Pontederam. Mitto ea omnia, quae ab ipſo ad imminuendam Geſneri famam dicta ſunt, quod ferociorem eum fecit laeſa a Geſnero ipſo ſui & Italiae gloria *. Poſtquam univerſam ruris diſciplinam, quam veteres Scriptores expolivere, optimo in lumine collocavit Pontedera, quod ſane immenſi laboris fuit, inſtabant atque

* *Vide epiſtolam LIII. operis, de quo loquimur, Haec inter cetera habet* Noſtra ut abdita eſſent, neque lucem, ſi fieri poſſet, adſpicerent, qua potuit diligentia curavit. Huc atque illuc diſperſit inhonora, atque abſcondidit. Tabulas ipſarumque explicationes eo animo diſtribuit, ut non noſtra, ſed Geſneriana exiſtimarentur. Nonnulla itaque praemiſit, deinde noſtra annexuit nullo intervallo aut indice ſeparata. Quamobrem qui meum nomen in extremis legerit, id a nobis tantum reliqua ſine nomine a Geſnero prodita reputabit. De ſuis vero nihil, niſi ampla forma & magnifice exornatum edendum ſivit. Tum a magno illo ruſtico apparatu, quae a nobis reſtituta ſunt ad ruſticos auctores intelligendos, maxime attinentia rejecit .... Cur poſthabuit quaeris? .... Ut Italiae decus demeret Geſnerus, adderetque Germaniae.

urgebant majori cum ſtudio Gymnaſii Patavini Triumviri, ut inchoatam horti Academici hiſtoriam ipſe perficeret. Suavis hic ei erat labor, quod illis rebus, quae ad eruditionem & rem herbariam pertinebant, paſcebatur, delectabatur, perfruebatur. Sed tantum huic operi minime potuit impertire temporis (nam aeſtivum in peregrinationibus conſumebat) ut, priuſquam e vita migraret, illud abſolveret atque in lucem proferret. Ea tamen reliquit, quae ſi architectum invenirent, magni aedificii materiem eſſe facile poſſent. Sed perpauci ab aliis inſtituta perficere adlaborant, vel quod raro nobis placeant aliena, vel quod noſtrae gloriae melius conſultum iri ambitioſe nimis arbitremur, ſi aliorum minime utamur praeſidiis. Atque in iis curis, quas contulit Pontedera ad dignitatem Gymnaſii Patavini & ad ſui gloriam, maximam cepit voluptatem, cum audiit praemio donatas fuiſſe tres diſſertationes ſuas, quas diverſis temporibus ad Academiam miſit Pariſinam, quae *Inſcriptionum & Litterarum nomine* nuncupatur. Altera explicat quibus anni temporibus, menſibus, diebuſque in Romana Re-

publica Conſules inire honorem ſolebant, altera in eo verſatur ut oſtendat, quodnam fuerit & quale Romanae religionis inſtitutum, Graecum ne an proprium ac patrium, tertia de Graecorum πολιτεία ab Alexandri Magni morte ad illud uſque tempus, quo in Romanorum poteſtatem ii pervenere, copioſe agit. Mens erat Pontederae non has modo Diſſertationes, ſed & alias plures, quarum indicem ad calcem hujuſce commentarioli rejicimus, in vulgus edere, nec dubitabat quin ad augendam ſui famam plurimum valiturae fuiſſent propter utilitatem rerum, eruditionis copiam, & Latinae linguae, qua eas exaraverat, elegantiam. Sed ut ſunt ſaepe inanes noſtrae contentiones, quae medio in ſpatio franguntur, coegit eum mors omnia ea, quae in manibus habebat, abjicere. Niſi ſe continuis laboribus, vigiliis ac peregrinationibus debilitaſſet, potuiſſet quidem ſibi longum aevum polliceri, quod optimo habitu praeditus a natura fuiſſet. Principio ſanguinem evomuit, mox inflammatione, quam medici *pleuro-pneumoniam* appellant, correptus fuit; denique ſupervenit apoplexis, a qua vita pri-

Digitized by Google

vatus fuit III. non. Septembris an. MDCCLVII. Ruſticabatur tum Lonigi, & villa, quam prope oppidum habebat, illi erat jucundiſſima, quod ea nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius eſſe dicebat, & quod mirum in modum abundabat frugibus, arboribus & ſtirpibus, quas aut ſeverat aut plantaverat ad botanicam & agriculturam provehendam. Nam ex omnibus rebus, in quibus homines occupari ſolent, nihil a Deo iis datum melius agricultura dicebat tum utilitatis tum voluptatis cauſſa. Moriens filiam heredem fecit, quam ex Eliſabetha Polenia ſuſceperat. Ipſe ſolator lugentis uxoris, poſtquam ei mandata dedit, quae ad pudice & ſancte educandam adoleſcentulam pertinebant, fortiter & Chriſtiane mortem cum vita commutavit, cum annos novem ſupra ſexaginta menſesque quatuor compleſſet. Statura fuit juſta, & in facie ejus apparere ſubagreſte quiddam planeque ſubruſticum omnino dixiſſes. Natura tamen placidus & comis erat; & quod conjunctiſſime & amantiſſime cum Polenio & quibusdam paucis aliis vixerit, ad colendas amicitias factus eſſe videbatur. Sed

eum in ſolitudine ſe beatum putaret, eaque pene aleretur, & parciſſimus verborum eſſet, quod verſabantur ſemper in animo ejus multae & graves cogitationes, facile injiciebat ſuſpicionem inurbanitatis: ſed ſi propius illum inſpexiſſes, virum bonum & humani ingenii manſuetique animi facile dixiſſes. Verum perſaepe homines fronte & oratione magis, quam ipſa re capiuntur, &

Dant nebulis aliquando pondus,
Fidemque falſis arrogant. *

Quod glorians Pontedera interdum uſurparet Ovidianum illud

Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus,

gratulari Etruriae noſtrae debemus, quod in faſtis ſuis tanti viri nomen adſcribere poſſit, unde non mediocris ei fiat acceſſio honoris atque dignitatis.

* Ex ode I. Olymp. Pindari.

OPERA EDITA

. . . Julii Pontederae Piſani Philoſophi & Medici compendium tabularum Botanicarum, in quo Plantae CCLXXII. ab eo in Italia nuper detectae recenſentur. Acceſſit ejusdem Epiſtola ad Cl. Vir Guilielmum Sherardum Anglum Botanicorum noſtrae aetatis Principem, in qua & de his, & de aliis tabulis alias edendis agitur. Patavii Typis Seminarii apud Jo. Manfrè 1718. in 4.

. . . . . in Patavino Gymnaſio Botanicees Profeſſoris Anthologia, ſive de Floris natura libri tres; plurimis inventis, obſervationibusque, ac aereis tabulis ornati. Accedunt ejusdem Diſſertationes undecim ex iis, quas habuit in horto publico Patavino an. 17 9. quibus res Botanica, & ſubinde etiam Medica illuſtratur. Patavii Typis Seminarii apud Jo. Manfrè 1720. in 4.

. . . . . . Epiſtolae duae de horto Patavino ad Ab. Nicolaum Comnenum Papadopoli. *Extant in Tom. I. pag. 14. e ſeg. Hiſtoriae Gymnaſii Patavini ab eodem Papadopolo ſcriptae, editaeque Venetiis 1726.*

. . . . . Epiſtolae ad Michaelem Angelum Tillium, in qua praeſertim agitur de Lapatho, de Acetoſa, de Acrimonia Orientali. *Extant in Catalogo horti Piſani ab eodem Tillio edito* Florentiae apud Tartinium, & Franchium 1727. pag. 177. & ſegg.

. . . . Obſervationes aliquot Botanicae . . . *Extant* nelle Novelle della Repubblica delle Lettere, in Venezia colle ſtampe di Gio. Battiſta Albrizzi: *& praeſertim in volumine anni* 1731.

. . . . . . Notae & emendationes variae in Catonem, Varronem &c. *Extant in opere, cui titulus*: Scriptores rei ruſticae Veteres Latini Cato, Varro, Columella, Palladius . . . . Adjectae Notae Virorum clariſs. integrae, curante Jo. Mathia Geſnero. Lipſiae 1735. in 4. Vol. II.

. . . . . . Epiſtolae tres ad Auctores rei ruſticae pertinentes. *Editae hae quoque a Geſnero fuere*.

. . . . . . Antiquitatum Latinarum Graecarumque enarrationes, atque emendationes, praecipue ad Veteris anni rationem attinentes, Epiſtolis LXVIII. comprehenſae. Patavii Typis Seminarii apud Joan. Manfrè 1740. in 4.

OPERA INEDITA.

Commentaria in veteres Scriptores de re ruſtica.

Monumenta ad hiſtoriam horti Patavini pertinentia.

Diſſertationes XVI. quarum haec ſunt argumenta.

I. De Cerealibus ſtirpibus.

II. De contemptu, ac negligentia comparandae medicinae.

III. Animalia omnia & ſtirpes, genita ac cuncta inter ſe contrariis miſceri, quo ſpecioſius divina potentia eluceſcat.

IV Utiliores eſſe mortalium generi, magiſque neceſſarias ſtirpes, quam animalia.

V. De agricultura a ſtirpium peritis inventa, atque aucta, nullumque eſſe perfectum agricolam niſi botanicum.

VI. De caedendae materiae tempeſtivitate.

VII. De Horto Patavino.

VIII. Qui in ſtirpium ſtudio verſantur tam caeleſtium rerum contemplationi vacare, quam opem ferentes mortalium generi inſervire.

IV. De commentitia ſtirpium foecundatione.

X. De botanicis C. Linnaei Inſtitutionibus.

XI. Nullam eſſe botanices perfectam methodum.

XII. In animalium ac ſtirpium hiſtoria clariſſime divinum numen refulgere.

XIII. De utilitate animalium ac ſtirpium.

XIV. Quibus anni temporibus, menſibus, diebusque in Romana Rep. Conſules inire honorem ſolebant.

XV. Quodnam fuerit & quale Romanae Religionis inſtitutum, Graecum ne, an proprium ac patrium.

XVI. De Graecorum πολιτεία.

ANGELUS FABRONIUS

THERESIAE SPADAE

Matronae nobiliſſimae

S. P. D.

UT mihi renuntiatum fuit de obitu Euſtachii Zanotti, ſane pro ea, qua me proſequebatur, benevolentia, graviter moleſteque tuli, & hunc dolorem omnibus Bononienſibus communem eſſe exiſtimavi. Nam eorum gloriae commodiſque, dum vixit, maxime ſervivit, iſque unus eſſe videbatur, qui deſiderium, quod ſui reliquerant, ejus patruus, Manfredii fratres, Beccarius, Stancarius aliique plures doctrina excellentes homines, leniret. Vi quidem rationis, cognitionis & ſcientiae par iis eſſe poterat; excellebat vero adeo magnarum virtutum comitatu, ut nihil illo jucundius, nihil amabilius fieri poſſe videretur. Noveras tu id in primis, nobiliſſima Matrona, quae in ejus conſuetudine acquieſcebas, quae vivum omni benevolentiae genere, mor-

Digitized by Google

tuum ſingularibus honoribus es proſecuta. Ut aliis narrare geſtis, qui quantuſque vir ille fuerit! Ut commoveris, cum pie, cum amice, cum magno animo aliquid ab eo factum recordaris! Quanto ſtudio ad inflammandos eos, qui ingenuis diſciplinis & artibus delectantur, ipſius proponis exemplum! Et quod non es neſcia non eſſe utilitatem modo, ſed etiam voluptatem in hiſtoriâ (nil enim tam libenter legimus, quam narrationem earum rerum, quas quis laudabiliter geſſit) tu ſtimulos addidiſti homini in omni judicio elegantiſſimo ad illius vitam Latine declarandam, quod ita tandem perfectum eſſe gaudes, ut per hoc Zanotti nomen aeternitate donatum eſſe putes. Neque aliter ipſe ſentio; quapropter ſatis me feciſſe ſtudio in virum amiciſſimum arbitrabor, ſi hanc ipſam vitam in hoc volumen retulero; quod cum complectatur hiſtoriam aliorum aut mathematicorum aut phyſicorum, quorum pervagata eſt vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum, illam non in alienum irruiſſe locum, ſed in ſuum potius immigraſſe facile judicabis. Quod ſcribis cuſum etiam numiſma fuiſſe, in quo vivam & ſpirantem Zanotti effigiem licet intueri cum Horatia-

na epigraphe, quando ullum invenient parem, *invideo equidem vivis & mortuis Bononienſibus, quod nullo non honore, qui ſolus alit artes, afficiantur a ſuis, vel, ut Pindari verbis utar* *,

Χαίρω δ', ὅτι
Ἐσλοῖσι μάρναται μέρι πᾶσα πόλις.

Dulcis ille patriae amor, qui late olim patebat, qui tot Heroas genuit, totque praeclariſſima & mirabilia facinora peperit, nunc pene extinctus jacet, aut ſi quo in loco viget, viget quidem apud Bononienſes, qui non ſibi ſolum, ſed patriae, ſed ſuis ſe natos eſſe putant. Qui apud eos floruerunt doctrinae laude, ſi cui viſi ſunt ſegniores, quod oblata a Regibus praemia vel ampliſſima, dum patriam relinquerent, recuſarunt, plaudebant ſibi hac ipſa de cauſſa, quod commoda ſua a ſuorum civium utilitate haud ſejungi debere arbitrabantur; & mediocritate ipſa fortunae contenti, ſe beatos judicabant, quod in ci-

* *Gaudeo autem, quod de rebus praeclaris certat univerſa civitas.* Pindar. Nem. V. verſ. 85.

vitate, quae doctrina & ingeniis ſemper abundavit, viverent honoratiſſimi. Ego vero iſtos tantum abeſt ut reprehendam, ut ab iisdem, tanquam a ſapientibus, moderationis & caritatis in patriam peti exempla cupiam. Quis tam excors eſt, quem non moveant ſtudia tua ſumma & ſingularia, quae confers in cives tuos, qui a litteris commendantur, perinde ac ſi illa ſola nobilitas eſſet, eorum gloriae dignitatique favere? Ceterorum inertiam, negligentiam, fatuitatem ſemper deteſtabor, qui ampliſſimis fortunae muneribus ita abutuntur, ut luxuriae, non beneficentiae inſtrumenta ſe accepiſſe videantur, invitaboque omnes, qui gloria titillantur, ad perſequenda veſtigia eorum, quae non preſſa leviter ad exigui praedicationem temporis, ſed fixa ſunt ad memoriam omnium ſempiternam, quod vera & immortalis laus uni virtuti tribuatur. Nolo plura de te, ne me tibi aſſentari, & benevolentiam tuam verborum blandimentis colligere velle putes. Vale, tibique perſuade nihil eſſe, quod hoc tempore libentius faciam, quam de Zanotto cogitare & loqui: hac enim una ratione acquieſco, & lenio deſiderium meum; cumque mi-

Digitized by Google

hi exhauriri incredibilem dolorem ob interitum tot clariſſimorum Italorum non poſſe videam, inſidior mihi ipſe; & tantiſper certe, dum illorum caeleſtes & divinas virtutes memoria repeto & animo complector, abduco atque averto me a triſtitia temporum, quibus florentiſſimos viros amiſimus: qui futuri ſint non videmus, de quibus quid cogitem, noli tu quaerere pro ſapientia atque prudentia tua. Iterum vale.

Piſis Non. April. MDCCLXXXV.

Digitized by Google

Eustachius Zanottus

Doctorum hominum praeconia litteris conſignare vetus adeo conſuetudo eſt, neque ſolum uſitata, verum etiam quotidiana, ut mirum eſſe debeat quemquam reperiri, qui id factum vituperet, ac ſententia ſua homines ingenio & maximarum rerum ſcientia abundantes laudatione ſpoliet. Ac ſi qui alios ornari nolunt, aut eſſent ipſi litterarum rudes, aut a laudis cupiditate remotiſſimi, ferri commodius poſſent, patientius quidem certe. Cum vero hi & in iisdem ſtudiis verſentur, in quibus illi vixerunt, nec adeo levis ſint animi, & lucem ſplendoremque fugientis, ut gloriam repudient, videant, ne, ſi quod volunt, non probaverint, alienae virtutis hostes, & laudis invidi, quod eſt turpiſſimum, exiſtimentur, ſi probaverint, ne, contra quam cupiunt, jaceant, & minus honeſtam mortis conditionem ipſi ſibi relinquant. Nam quod ajunt ſe Galileo, aut Newtono, aut paucis, ſi forte, aliis laudationes & monumentorum elogia fore ampliſſi-

ma decreturos, ceteris non item, ne ſi praemia virtutis pervulgentur cum multis, dignitatem amittant; primum id ipſum ſuperbum eſt, praeter pauciſſimos illos, neminem putare dignum, quem laudent; deinde non intelligunt eorum etiam, quibus honorum gradus pares ſunt, glorias interdum eſſe diſpares. Itaque nemo eſt noſtrum, qui ſe Cavalerio, aut Gulielmino parem eſſe dicat, licet eumdem in Gymnaſio locum occupet, quem illi tenuerunt, ac eosdem fere, quos illi, honorum gradus ſit conſecutus. Quod ſi ornamenta reliqua, ut per ſe clara & magnifica ſint, perinde tamen habentur, atque eorum, qui illa acceperunt, virtus eſt; quanto id in laudationibus apparet magis? Quae alias in alios accommodari poſſunt, neque eaedem in plures conveniunt. Neque enim ſi poetam eſſe dixero laude digniſſimum, putandum erit hunc continuo cum Homero aequari, neque ſi Imperatorem fortiſſimum fuiſſe affirmavero, erit metuendum, ne hic ſtatim cum Caeſare in virtutis contentionem veniat. Quapropter qui de Euſtachio Zanotto ſcribere ingredior, neque paſſus ſum plus

apud me quorumdam obtrectatorum, quam univerſae Civitatis vocem valere & voluntatem, ſi quis objiciat non eum fuiſſe Zanottum, quem in mathematicorum ducibus & principibus ponas, non contendam; ſed qui eos omnes inglorios ignobileſque dimittat, quibus principes hi praeſtiterunt, quantum ipſi praeſtiterint, ſciet nunquam; ut ad clariorem horum gloriam pertineat etiam alios laudari. Ceterum nos tantum Zanotto concedimus, quantum neque ambitioſi, neque invidi tribuere alteri debent. In quo tametſi difficile eſt iis ſatisfacere, qui omnia ad vivum reſecant, nec verba numerant modo, ſed tanquam appendunt; nos tamen quid aequis rerum aeſtimatoribus videatur, non quid moroſi illi probaturi ſint, intuebimur, neque vero timemus, ne, quia perraro grati homines reperiuntur, idcirco civibus noſtris crimini detur, quod nimium Zanotto grati eſſe dicantur. Sed de his plura perſequi non eſt opus; ad rem venio.

Euſtachius Zanottus clariſſimis aetatis noſtrae hominibus non ſtirpe modo, verum etiam

ingenio, induſtria, rerum geſtarum magnitudine conjunctus fuit; quae prope major cognatio eſt, quam illa, qua plerique delectantur, generis & nominis. Patrem Joannem Petrum poetam longe probatiſſimum, patruum Franciſcum habuit, robur illud Bononienſis Academiae, cujus per multos annos ab Actis fuit. Illius aetas in ea tempora incidit, quibus, ſi quando alias, omni litterarum genere Bononienſes florebant. Neque enim poſſumus Manfredios, Ghedinos, Beccarios, alioſque bene multos, quorum in hac urbe magna ingenia & conſilia fuerunt, recordari, quin doctrinarum prope, non hominum nomina obverſari nobis videantur. Cum his Zanottus uterque, Joannes Petrus & Franciscus conjunctiſſime & ſine obtrectatione vivebant, quod in tanta maximarum rerum aemulatione, quantam inter eos intercedere oportebat, ut nunc ſunt mores, vix fieri potuiſſe arbitreris; ſed qui tum docti & erant Bononiae, & habebantur, fere aequabiliter omnes erant hujuſmodi, atque haec laus eximiae innocentiae non ad homines ſolum, verum etiam ad illa tempora pertinebat. Vix

autem dici poteſt, quam ea conſuetudo Euſtachio emolumento fuerit. Nihil enim adoleſcentulus domi audiebat niſi doctum & elegans, quodque non ipſum aut ſcientia augeret, aut exemplo. Inſtruebatur interea Scientiarum Inſtitutum, & ſupra quam dici poteſt magnificentia atque opibus creſcebat. Marſilius praeclaram ſuſceptionem illam ſuam perpetua quadam conſtantia roborabat, neque in tanta re torpere quemquam patiebatur. Senatores pro veteri ipſorum conſuetudine in litteras propenſi nihil habebant antiquius, quam ut Marſilio plane ſatisfacerent, & egregie inchoatum opus urgerent. Ipſe Pontifex, quanquam erat multis graviſſimiſque negotiis diſtentus, partem tamen aliquam curae & cogitationis ſuae in Inſtitutum derivabat. Omnino ingens erat tam praeclari operis gloria, multique certatim, alius alio copioſius, novas aedes muneribus exornabant; qui in Inſtituto docebant, omni in hominum coetu, & omni ſermone celebrabantur: neque tantus ardor Bononienſium finibus potuit coerceri; ſed ex urbe in urbem traductus Italiam atque adeo Europam brevi occupavit.

Digitized by Google

Quae cum in aliorum adoleſcentum mentibus inhaereſcerent, tum in Euſtachii animo obliterari non poterant. Etenim omnibus Inſtituti rebus ipſe aderat, aut, ſi quando abeſſet, eas unus propter doctiſſimorum hominum familiaritates omnium maxime audiebat. Itaque alacrem magnumque animum ad eas attulit artes, quarum cognitione ſubnixos ad ſummam dignitatem advolaſſe alios videbat celeritate mirabili; cumque Euſtachii Manfredii ſpectatae, praeter ceteros, virtutes eſſent, ad hunc ſe applicuit, atque ad hujus imaginem ſe totum confingere prorſus ſtuduit. Sapienter is quidem, qui, cum optimum ſibi ad imitandum propoſuiſſet, ab ineunte aetate providit, ut, ſi etiam ſuperare illum, aut aequare forte non poſſet, ſaltem in deligendo recte ſenſiſſe judicaretur. Cum vero haud pauci ſe ſe in Manfredii diſciplinam per eos annos tradidiſſent, vix ulli clarius explendeſcebant, quam Algarottus Zanottusque. Eminebat enim in utroque cum indoles virtutis, tum diſcendi ardor plane incredibilis; ſed alter ingenii celeritate, alter judicandi prudentia magnus habebatur:

ille omnium doctrinarum cupidus nullam fere liberalem diſciplinam non attigit; hic a mathematicis artibus, in quibus ſe ſe puer abdiderat, vix unquam ſe abſtrahi paſſus eſt: illius diſtincti, ornati, feſtivi ſermones laudabantur; hujus oratio ſobria, adſtricta verbis, denſa ſententiis, nihil ut in ea notari poſſet diffluens, nihil redundans: denique ut nihil addi Algarotto poterat, niſi inepte, ita nihil huic, niſi temere, detraxiſſes. Qua praeſtantia cum eſſet, annos natus fere viginti conſecutus eſt, ut Manfredio in aſtronomia excolenda adjutor daretur. In quo facile oſtendit ſapientiae interdum, quam aetatis curſus eſſe celeriores, veriſſimeque dici; non ut arbores, & fruges, ſic mentes & ingenia habere ad partus dies certos. Sive enim ſiderum motus obſervaret, ſive aſtronomicum opus generoſis adoleſcentibus explicaret, adoleſcens ipſe, ita utroque in munere praeſtitit, ut omnibus probaretur, Manfredio in primis, cujus nos judicium reliquorum teſtimoniis anteponimus. Atque graviſſimis hiſce occupationibus laxare ſe vix poterat, unuſque jam tum aſtronomi partes

ſuſtinere cogebatur. Coeperat enim Manfredius ex renibus laborare, lapideque in veſica facto, graviſſimis doloribus excruciabatur, quibus anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono confectus eſt. Nemo illum non lacrimis & moerore eſt proſecutus, hocque unum, quod veriſſime poſſumus dicere, ingenti, ut in malis, conſolatione Bononienſes lenivit, quod Manfredii gloriam Zanotti doctrina renovatam non ſperabant modo, ſed prope ſibi cernere videbantur. Itaque ea provincia Zanotto commiſſa eſt, quam in Inſtituto Manfredius obtinuerat, eidemque imperatum, ut, quod ille antea fecerat, aſtronomiam in Gymnaſio explicaret; ac nemo profecto aetate illa erat alius, cui ſe aſtronomia, credo, ipſa committi mallet. Cum vero is intelligeret, quam magnum onus ſuſcepiſſet, ac quanta de ſe eſſet expectatio, non modo ut ante collectam famam conſervaret, verum etiam ut ſpem confirmaret reliqui temporis, curare coepit. At primum Ephemerides illas longe nobiliſſimas, quibus Manfredius futuros planetarum curſus ad annum milleſimum ſeptingenteſimum quinqua-

geſimum praenunciaverat, ad alios duodecim annos Zanottus produxit, neque poſtmodum in eo labore nunquam, dum vixit, ſe ſe exercuit. In his autem libris facile apparuit, quam penitus in ejus animo Manfredii praecepta inhaeſiſſent. Nunquam enim ab ea ratione, quam ille in praedictionibus ſuis agendis tenuerat, Zanottus diſceſſit, atque in iisdem fere aſtronomorum tabulis inſtitit, niſi ſi forte utiliores aliae, magisque ad veritatem accedentes viſae fuiſſent; quanquam nihil minus in eo volebat, quam novus videri, ac recentiſſimas quaſque tabulas laudabat magis, quam ſequebatur, neque antea uſurpabat, quam illas maxime emendatas eſſe correctasque longo uſu didiciſſet. Laborem hunc alius excepit. Etenim vix dum ad aſtronomiam tradendam acceſſit, cum annumeranda ſibi & deſcribenda ſumpſit clariora ſidera, quae certis infixa ſedibus ſignifer orbis complectitur, vel ut provinciam cognoſceret ipſe ſuam, vel ut quam in obſervandis ſideribus habebat ſolertiam, eam ſtudio & exercitatione redderet acriorem. Nam certe non ignorabat, quam multi ante ſe aſtro-

nomi deſcriptiones hujuſmodi confeciſſent, qui etiam longe plura in Zodiaco aſtra, quam quae Zanottus animadvertit, ſtudioſe diligenterque notaverant. Ex quo intelligi poteſt, quam diligenti ſimul & quam magno fuerit animo. Nam qui vel omnium primi in deſignandis inerrantibus ſtellis evigilarunt, vel qui aliorum notationibus multa poſtea addiderunt, feceruntque antiquorum inventa meliora, ſapientes illi quidem, qui ingenti ſpe gloriae excitabantur, ne qua poſſet ipſos defatigatio retardare. Zanottus ſapientior, cui officium pro gloria fuit, quique in ſolam propemodum artis ſuae cognitionem intentus hanc ad vigiliarum ſuarum fructum duxit eſſe permagnam. Quanquam non eſt putandum Zanotti conſilium ſplendore caruiſſe. Primum enim id ipſum laudem habeat oportet vel ſine laudis expectatione in magnis tamen rebus ſtudium ponere, deinde, cum id ageret, ea Zanottus aperuit, quae nec erant ſatis nota noſtris, & erant cognitione digniſſima; velut illud, maximas ſaepe exiſtere in ſtellis prope omnibus varietates, quibus fit, ut interdum longe lateque collu-

ceant, intèrdum lumine imminuantur ac prope niteſcere intermittant. Fuerat enim antea in paucis ſtellis id animadverſum, neque fere aſtronomi adduci poterant, ut vel in paucas illas vere inconſtantiam cadere arbitrarentur. Adeo enim placebat eorum ſiderum, quae inerrantia ipſi dixiſſent, mutabilitatem plane eſſe nullam, ut cum ſtellas extenuari cernerent, incuſare quidvis mallent, quam illas, ejuſque rei culpam aut in oculorum fallacias, aut in aerem conferebant, qui modo craſſus concretuſque, modo tenuis & putus nobis offunditur. Neutrum Zanottus concedebat, hocque urgebat maxime: ſtellarum commutationes tum fieri, cum metuendum non eſt, ne aut videndi ſenſus fallat, aut coeli diſſimilitudo fraudem faciat. Fit enim interdum, ut ſi ad duas ſtellas, quarum altera quam proxime alteram ſit, rurſus teleſcopio inſpiciendas te revoces, alteram ſibi mirifice congruere videas, alteram mutata forma a ſe ipſa diſſidentem cernas. Quid hoc autem eſt inſolens adeo vel coeli, vel oculorum ingenium, ut harum ſtellarum alteri lucem eripiant, & noctem quaſi quam-

Digitized by Google

dam offundant, alteri non item? Haec autem cum Zanottus proponeret, illud quoque non omittebat non ſe eum eſſe, qui has ſiderum converſiones certis terminis circumſcriberet, aliorumque induſtriae malebat confidere, quam ſuae. Modeſte & conſiderate ille quidem. Namque, ut mittam quam magnum fuiſſe id opus, atque haud ſciam, an de aſtronomicis operibus longe maximum, alia etiam non deerant, quae ipſius conatus prohibere poterant. Nondum enim Baillius viam rationemque docuerat, qua aſtrorum magnitudines accurate exquiſiteque conferri poſſent inter ſe, quaeque ad illorum ordines definiendos pertinebant; erant obſcuriſſima prope omnia, multiſque obſtructa difficultatibus. Zanottum praeterea, ut qui negotioſam provinciam adminiſtrabat, aliud ex alio impediebat. Namque praeter Ephemeridas, quas, ut dixi, labore ſummo conficiebat, ſi quando Sol, aut Luna, aut aliqua earum ſtellularum, quas vi ſua Jupiter complexus contorquet, deficerent, aut Mercurius, Venuſque Solem trajicirent, vel ſi qui Cometa ſe proderet, ac longiſſime adveniens intra planetarum orbes

ſe ſe conjiceret, vel ſi quid aliud in caelis occurreret obſervatione dignum, ea prope unus notare cogebatur. Neque enim laborem hunc delegare multis in ea urbe poterat, in qua pauci admodum aſtronomiae ſtudio trahuntur, aliis ad quaeſtuoſiora properantibus, aliis ne ad haec quidem. Pleraſque ex illis obſervationibus Zanottus edidit, quas qui legerint, nullum ab eo experientiſſimi aſtronomi officium deſiderabunt; hoc certe nomine apud Mairanum, Caillium, Meſſierium, alioſque praeſtantiſſimos aetatis noſtrae mathematicos in honore fuit; Caillius etiam, cum in Africam iter faceret, ut eas, quae circa auſtralem polum volvuntur, ſtellas in aſtronomorum catalogos referret, aliorum quorumdam ſiderum, quae nobis conſpicua ſunt, motus & converſiones cum aliis longe clariſſimis viris, tum notandas Zanotto commiſit, qui pro ſua fide & diligentia ex Caillii voluntate ſuſceptum negotium ſic geſſit, ut opinionem, quae de ſe erat, aequaverit, & doctiſſimi illius hominis deſiderium expleverit. Sed Zanotto praeter inſitam animo induſtriam ad bene de aſtronomia merendum

fortuna etiam, cujus magna in utramque partem vis eſt, adjungebatur: idque tum praeſertim apparuit, cum Templi D. Petronii Curatores, Alamanno Inſulano Senatore ampliſſimo in primis ſuadente, celeberrimum gnomonem, quem in ea magnificentiſſima aede Caſſinus conſtruxerat, emendandum Zanotto reficiendumque crediderunt. Iamdiu enim dolebant homines praeſtans illud ac ſingulare inſtrumentum, per quod Caſſinus cum alia bene multa, tum Solis acceſſus diſceſſuſque ſubtiliter definiverat, temporis diuturnitate fuiſſe corruptum, partim commota lamina, cujus centrum radius Solis trajicit, partim depravata ea linea, quam, cum meridies eſt, radius ipſe attingit. Hanc certe, quam Caſſinus ferreis regulis aliis aliiſque deinceps poſitis conſignaverat, marmoreis lapidibus, quo illae magis firmarentur, inſertis ſolo hinc & hinc infixiſque, praetereuntes quotidie homines ſic protriverant, ut eſſet vitioſiſſima, aliis ejusdem partibus depreſſis, atque introrſum in pavimentum actis, aliis praeter modum aſſurgentibus, inconditeque curvatis. Labem etiam aliquam, ne omnem

ejus culpam in homines conferamus, terrae motus fortaſſe fecerant, quibus identidem Bononiae aedificia nutare, crepitare compages, tabulata concuti viſa ſunt. Quae cum Manfredius animadvertiſſet, nihil magis optaverat, quam ut praeclara adeo conſtructio, quae vitium fecerat, reſtitueretur. Itaque eos, qui Templo praeerant, invitavit ſaepe, rogavit, obſecravit: egregium Caſſinianae ſolertiae monumentum interire ne ſinerent, atque ad gnomonem nobiliſſimum reficiendum quidquid ipſorum eſſet praeſtarent; ſe quidem in eam rem, ſi vellent, diligentiam quam poſſet maximam collaturum. Haec ſaepe Manfredius & cum multis, ſed tunc Inſulanus in corona non aderat. Itaque cum reſtituere ille gnomonem non poſſet, quod reliquum erat, id unum ſuſcepit, in quo nullum impendium fieret, niſi laboris ac ſingularum partium libramenta, erroreſque dimenſus, quam hi cautionem haberent, diligentiſſime patefecit. Zanottus felicior; perficere enim potuit, ne quid per multa ſaecula, quantum augurari conjectura poſſumus, a gnomone cavendum eſſet. Quare cla-

riſſimum illud aſtronomicae facultatis inſtrumentum eſt ab ipſo refectum diligentia tanta, ut adhuc Caſſino dignum videri poſſit, ea vero firmitate, qua ſe a temporis, hominumque injuriis facilius tueatur. Multa vero, quae obſervaſſe e re aſtronomica erat, hujus inſtrumenti ope ſunt a Zanotto animadverſa. Neque enim aut poli altitudinem, aut eclipticae obliquitatem, aut anni longitudinem inveſtigare praetermiſit, neque oblatam ſibi illuſtrandae aſtronomiae facultatem ad nihilum recidere paſſus eſt. Neque ſolum vidit quid eſſet maxime notatione dignum, quod ejus doctrinam commendat, verum etiam in iis, quae perquiſivit, cum clariſſimis aſtronomis, ac Slopio in primis conſenſit, quod facile oſtendit, quam diligens ſpectator coeli ſiderumque Zanottus fuerit. Quam certe laudem, etsi aliae abeſſent, nos tamen ipſam per ſe vel magnam vel potius maximam eſſe putaremus. Nam ſi qui in coacervandis publicis privatiſque tabulis aetates conterunt ipſas, & vel unius oppidi monumenta diligenter collecta, atque annotata proferunt, in celebritate verſantur; quanto

in

in honore eos eſſe oportet, qui tanquam mundi annales conficiunt, & hiſtoriae ſuae fines caeli regionibus terminant? Quanquam conatus eſt etiam Zanottus mathematicorum doctrinis aliquid, atque adeo multum addere de ſuo. Namque breviſſimos calculos, minimeque artificioſos aperuit, quibus cometarum poſitus & converſiones invenirentur, ac quantum in eo ſimplicitas poſſet, expertus eſt: quidquid certe ad Cometarum curſum deſcribendum pertinet, id omne ad trigonometriam & ad falſas quasdam poſitiones revocavit, quo facinore nae ille magnam ab aſtronomis gratiam iniit. Etenim plerique omnes, cum locum hunc tractant, ut mathematici fere ſunt laborioſi, indulgentes ſibi longiſſimos calculos ineunt, nec niſi per exquiſitiorem induſtriam ad id, quod eſt propoſitum, accedunt. Moleſtiam hanc levare Zanottus voluit, idque illi in Cometis duobus, quorum alter anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono, alter milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo prodiit, ceſſit pulcherrime. Neque vero diffitemur Zanotti inventum in Cometas alios aegre ac-

commodari potuiſſe, neque horum inventorum fortuna communis eſt recuſanda. Cum enim Cometae toto caelo vagentur, ac ſeu dum incitantur, ſeu dum retardantur, ſeu dum inſiſtunt, innumeras habeant varietates, non eſt poſtulandum, ut una praeceptio ſit ad omnium curſus definiendos aptiſſima. Est tamen aliquid, cum in re difficillima verſeris, atque ea, quam nemo unus univerſe perfecit, aſtronomorum commodo iterum iterumque proſpexiſse. Neque alia non extant, quae ejus ingenium doctrinamque teſtantur. De forma terrae, quae noſtrae aetatis aſtronomos maxime ſollicitos habuit, ſermones conſcripſit probabiles, & vero probatos, quos qui legerint, hominis elegantiam mirabuntur. Nam quamvis hac ſuper re eodem, quo alii fere pervenerit, brevius tamen id praeſtitit, & facilius ac theoremata quaedam adeo venuſta explicavit, ut dicantur Boſchovichium in amorem ſui rapuiſſe. Cum vero docet Zanottus, quemadmodum e poſitionis, quem vocant, angulo forma terrae cognoſcatur, ea nimirum tractat, quae plane pro novis haberi poſſe crediderim. Quanquam de

terrae forma ſcripſerunt adeo multi, ut difficillimum ſit tenere aliquid non antea fuiſſe ſcriptum; quo fit, ut ea ipſa, quae a Zanotto deprehenſa fuiſſe arbitramur, non facile nova eſſe affirmemus. Idemque fortaſſe valet in multis aliis, neque ego ullam in partem diſputo. Quis enim praeſtet, quae ſunt ab ipſo in uſu, ac tractatione micrometrorum obſervata, ea ſuperioris aetatis diligentiam effugiſſe? praeſertim cum conſtet eſſe illa inventu adeo facilia, ut vel ſe offerre potuerint non quaerenti. Itaque Zanottus ipſe, qua moderatione erat animi, non ſe illa ajebat proponere, quae ingenium oſtenderent, id enim elucet in difficultate, ſed quae aſtronomiae ſtudioſis prodeſſe poſſent, quamvis parva & mediocria & eſſent & viderentur. Sed vero quae de perſpectiva conſcripſit, ut nominibus aliis, ſic novitate mirifice commendantur. Omnem enim cum ichnographiam, tum ſcenographiam, quod a nemine antea factum legimus, uno breviſſimoque praecepto complectuntur. Neque enim quiſquam eſt qui ignoret, quam multas in partes diducta initio fuerit perſpectiva, quam-

que varias praeceptiones nunquam non habuerit. Quas omnes Zanottus cum in unum theorema contraheret, non tam veterem artem excolere viſus eſt, quam novam propemodum docere. Quocirca non eſt mirandum, ſi Zanotti ſcripta vix dum edita omnes fere Italorum ſcholas pervaſerint, neque defuerint qui illa non ſolum veterum libris anteponerent, qui plerumque exiles ſunt & aridi, & multis obſcuritatibus involuti, ſed vel Tayloro ipſi, qui magnus habebatur, eratque in omnium fere manibus. Mechanicen quoque Zanottus attigit, ac de corporum percuſſionibus pauca quaedam edidit, quam ſubtilia non dicam, elegantia quidem certe; quo nomine in tanta amplitudine mechanices ne nunc quidem contemnantur. Sed eſt etiam quorumdam error tollendus, ne Zanotti ſtudia exponentes gloriam minuamus. Cum enim hic ſua theoremata emitteret, illa quaeſtio, quae tum de viribus vivis erat, ejus animum vehementer ſollicitabat, quae a Leibnitio primum orta, ab Helvetiis deinde Germaniſque aliis aucta Gallos paſſim Britannoſque commoverat, demum ab Italis

excepta, & quaſi per manus Bononiae tradita Academiam noſtram mirabiliter inflammaverat. Neque tantus hic animorum ardor ante conſedit, quam Alembertus plane ad veritatem oſtendit Carteſianos a Leibnitianis verbo non re diffidere, ſicque convenire poſſe, ut illi veteris opinionis poſſeſſionem retineant, hi jacturam novae ne faciant. Sed Zanotti aetas in ea tempora incidit, quibus quaeſtio illa nondum in ſuſpicionem inanitatis venerat; adeo Germanorum praeſertim nomen omnium animos auresque compleverat. Quare, ut mos tum erat, nemo fere laudis cupidus mathematicus non aliquid de viribus vivis commentabatur; ac ſi quid occurreret, quod ad corporum impetus pulſuſque aeſtimandos quoquo modo pertineret, id propter nobiliſſimae quaeſtionis conjunctionem praeclarum admodum atque magnificum habebatur. Igitur quod Zanottus brevia quaedam theoremata, quaeque oſtendere nihil prope negotii erat, editione tamen digna putaverit, temporum culpa eſt, laus ingenii, quod de iis eleganter diſtincteque conſcripſerit. Ceterum quam ipſe fuerit me-

chanicae facultatis intelligens, alia indicio ſunt. Cum enim ad eam hujus diſciplinae partem, quae in fluminibus arcendis, dirigendis, avertendis tota eſt, animum devexa jam aetate appuliſſet, ingenio perfecit, ut videretur eam a pueritia uſque arripuiſſe; multi certe ipſum de hydrometricis controverſiis longe graviſſimis cum Ximenio, Fantono, Lechio, aliiſque, quorum pervulgata ſunt nomina, in conſilium adhibuerunt. Neque vero eſt quod putemus aut in conſiliis capiendis intelligentiam, aut in dandis fidelitatem Zanotto defuiſſe; ſed, neſcio quomodo, ſunt litigioſa in hoc genere ita multa, ac variae adeo & diverſae, & in omnem partem diffusae hominum diſputationes, ut niſi ſtudia partium ante reſederint, multorumque cupiditates deferbuerint, non ſatis occurrat quod ſcribamus. Quare ſpei fructum rei convenit, & eventui reſervari, ne aut quod ambiguum eſt pro certo poſuiſſe, aut deſtinatam forte Zanotto laudem feſtinatione praeripuiſſe videamur. Sed commentarios quosdam hydrometricos idem divulgavit, quos ſi mihi probari dixero, non

metuam, ne aut fides mea deſideretur, quaſi tempori obſequar, aut prudentia, quaſi veritati non ſerviam. In primis vero quaeſtionum omnium, quas Rheni cauſſa Bononienſes cum finitimis plurimas graviſſimaſque habuerunt, hiſtoriam conſcripſit, utque amnis ille identidem agros vaſtaverit, ac late perdiderit omnia, ſeque in alios atque alios curſus contorſerit & inflexerit, docuit, neque minus quid geſtum ſit, ut ea calamitas averteretur, aperuit. Quam narrationem utiliſſimam eſſe fatebuntur, qui noverint, quam multa hydrometrarum praecepta miſerrimae Rheni alluviones diu multumque obſervatae pepererint. Eſt etiam Bononienſibus, qui nunc vivunt, ante actorum temporum incommoda cognoſcere jucundiſſimum. Vix enim quidquam tantam habet oblectationem, quantam ſecura praeteriti doloris recordatio. Neque hydrometriam non amplificant quae idem de aquarum fluxionibus Florentiae edidit. Quamvis enim fluvios, qua in mare erumpunt, per acclive ferri Gulielminus, auctor optimus, tradidiſſet, rem tamen hanc ſtrictius attigerat, quam ejus admirabilitas po-

ſtulabat. Itaque Zanottus & quam id late pateret oſtendit, & primus omnium docuit, ut aquae ad fluminum oſtia ſuperficiei devexitate impellantur, ac quaſi ex alto profluentes alvei acclivitatem concepto impetu ſuperent. Quod quidem nemo ante ipſum ad rei dignitatem apte explicaverat. Igitur praeclarum hoc Zanotti factum probarunt multi, in his Friſius, quanquam in eo deſideret forſitan aliquid, & leviter emendet. Sed non tam dolendum Zanotto fuit, quod cum mathematico tanto, quantus Friſius eſt, in pauciſſimis pugnaverat, quam jure laetandum, quod conſenſerat in tam multis. Alia quoque extant, quibus cognoſci poteſt, quam fuerit Zanottus hydrometriae intelligens; ſed modum adhibere oportet, ne ultra quam ſatis eſt minuta quaeque conſectari videamur. In omnibus autem, quae emiſit in vulgus, multa induſtria, & diligentia comparet, multa doctrina, ac lene quoddam, & aequabile & candidum dicendi genus, quo plus valebat in perſuadendo, quam alii calamiſtris & lenociniis. Quo minus mirandum eſt fuiſſe ipſum in tam multiplici excellentia ſuis

civibus probatiſſimum. Quanquam non modo ingenio conſecutus eſt, ut multis carus & jucundus eſſet, verum etiam moribus. Namque erat in eo auctoritatis & conſilii plurimum, integritas ſingularis, tanta in patriam caritas, ut exterarum civitatum magna ſibi praemia, ſi in eas migraret, pollicentium beneficio uti noluerit, tantum in Principem obſequium, quantum in eo eſſe oportebat, qui juſtiſſimo Domino ſervire hanc jucundiſſimam libertatem eſſe arbitrabatur. Idem in perficiendo quod ſibi commiſſum eſſet, incredibili erat cura, nullumque publici Doctoris officium, & munus ſumma cum fide non exequebatur. Itaque multos adoleſcentes nunquam, dum vixit, non erudivit, quodque in ſolerti, & ingenioſo homine perdifficile eſt, neque iracunde, neque laborioſe docebat. In eo etiam apparuit, quam liberali & ingenuo eſſet animo, atque in omnibus ſervaret modum. Sunt enim, qui prae nimio docendi ſtudio interdum peccent, quoſque diſcipulorum multitudo uſque adeo delectat, ut in quadam quaſi ſpecula perpetuo maneant, & quacumque adoleſcentulum

vident ſurgere, illum ſtatim per ſummam aviditatem appetant, & artificiis omnibus aucupentur. Ab horum ſedulitate tantum Zanottus aberat, quantum ab aliorum negligentia, neque modo fideliter inſtituebat adoleſcentes, ſi qui ad ſe ventitarent, verum etiam non ideo ſibi minus placebat, quod interdum ne quem doceret aliorum induſtria impediebatur. Neque vero in hoc ſolum, ſed in omni vita curavit maxime, ut perpetua quadam moderatione temperatus & eſſet & haberetur: veſtigium in eo contumaciae cerneres nullum, ac, quod magnum rarumque eſt, ab ejus comitate quemadmodum auſteritas, ſic etiam levitas omnis aberat. In ſententia dicenda ita orationem moderabatur, ut neque ſuperbus, neque obnoxius videretur, neque aut alienae dignitatis obliviſcebatur, aut ſuae. In diſputando, quanquam ipſe ſumme lenis erat, non illos tamen vituperabat, qui animose & fortiter dicunt, modo contumelia abſit; haecque ejus vox ſaepe eſt audita a multis, illos ferendos non eſſe, qui innocuam dicentis libertatem queruntur ſe ferre non poſſe, eamque in alios

culpam conferunt, quam ipſi ſuſtinent. Jam veritatis cum eſſet cupidiſſimus, eam quacumque ratione infuſcare flagitium, obruere autem ſcelus eſſe putabat, ac, quamvis amicorum dignitati mirabiliter faveret, eoſque laudaret libentiſſime, cavebat tamen, ne quid in ſermones ſuos per cauſſam irreperet officii, quod videri poſſet blanditiis aut gratia depravatum. Quo magis mirandum eſt eumdem in aſſentationis ſuſpicionem nonnunquam incidere potuiſſe. Sed ſic eſt vulgus; pauca ex veritate, multa ex opinione aeſtimat. Quodcumque autem rectum eſt, id ad pravum ſemper aliquid quodammodo videtur accedere, ac quamvis ejus diſſimillimum ſit, nihilominus ab imperitis judicibus idem exiſtimatur. Quare ut dicendi ingenuitatem arrogantiam appellant, ita judicandi modeſtiam aſſentationis nomine accusant. Cum vero Zanotti animum multis amiciſſimum deprehendimus, tum nulla in ceteros malevolentia ſuffuſum novimus. Igitur ut ipſe gloriae ſeniorum ſuccreverat, ita ad ſuam gloriam conſurgentes alios laetus adſpiciebat, aliorumque virtutes imitatione dignas eſſe, non

invidia arbitrabatur: omnino morum praecepta a graviſſimis philoſophis arripuerat non diſputandi cauſſa, ut magna pars, ſed ita vivendi. His igitur rebus effecit, ut multi Principes viri ejus conſuetudinem convictumque expeterent, quos ſi omnes recenſere velim, nimius ſim, praeſertim cum ii plerique ſint; quorum ſi nomina commemorem, aegre mihi ipſe temperem a laudando. Quis enim, ſi modo Ignatium Boncompagnum Cardinalem ampliſſimum nominaverit, laudibus abſtineat? Quanquam hujus ſapientiam admirari facilius poſſumus, quam verbis explicare, qui id conſecutus eſt, quod pauciſſimos omni aetate obtinuiſſe videmus, ut in maximis Provinciae occupationibus idem prodeſſet litteris cum ingenio, tum auctoritate, eumdemque haberent docti homines, a quo laborum ſuorum & praemia peterent & exempla. Senatus autem Bononienſis, cujus eſt judicium graviſſimum, tantum Zanotto tribuit, quantum memoria noſtra fere nemini. Namque eumdem ampliſſimis muneribus decoravit, & multa non petenti conceſſit, quae aliis petentibus denegaverat, ac, ne quod

illi in ſuis civibus ornamentum deeſſet, Inſtituti Praeſidem creavit, eumque tribuit dignitatis gradum, quo, ſecundum Patres, altior nullus Bononiae eſt. Cuncta autem Italia atque adeo Europa quanti eum ſaceret, inde apparebat, quod e doctis hominibus Bononiam venientibus nemo erat, qui ipſum videre praetermitteret, nemo, qui cum vidiſſet, non id ad ſuae peregrinationis uberiores fructus referret. Multis etiam nobiliſſimis Academiis adjunctus eſt, quibus erat notiſſimus non ex praeſenti quidem corporis forma (quanquam multas provincias hydrometriae praeſertim exercendae cauſſa obierat) ſed ex imagine ingenii ſui, quam purae, minimeque fucatae eloquentiae coloribus expreſſam in ejus ſcriptis licebat intueri. Quapropter, quod veriſſime poſſumus dicere, paucos ille habuit obtrectatores; quanquam magna invidia magnae gloriae fere comes eſt, neque unquam inepti deerunt, qui cum ſe velint poſſe omnia, neque praeterea quidquam eſſe aut in homine ullo, aut in ordine, aliorum ingenium & virtutem depreſſam extinctamque cupiant. Sed illi certe,

Digitized by Google

quibus Zanottus ſe probari exoptabat, ſemper probarunt; ſunt vero etiam multi, quibus diſplicere laus eſt. Tali modo cum II. & LXX. annos compleſſet, intervenit illi mors, ut ſeni, matura, ita bonis omnibus acerba. Natus erat anno milleſimo ſeptingenteſimo nono V. kal. Decembris, deceſſit idib. Maii anno milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo. Mortuo honores habiti non vulgares: namque Bononienſis Academia exequias funeris proſecuta eſt, decretumque a ſuis civibus, ut ejus memoria litteris mandaretur. Ejusdem imago in quamplurimis numiſmatis qua argenteis, qua aeneis impreſſa eſt, ut cujus ingenii monumenta aeterna futura ſunt, ejus vultus effigies ne a poſteritate deſideretur. Utinam vero quae ornamenta in Zanottum plurima & maxima Bononienſes congeſſimus, ea multos e noſtris adoleſcentibus ad bene de litteris merendum alliciant & excitent? Hic enim, meo judicio, eſt honorum, qui ſummis viris tribuuntur, fructus vel uberrimus. Neque enim, quod plerique jam dictitant, languet adeo noſtrorum juvenum induſtria, ut commoveri fa-

mae opinione non poſſint, neque reſtinctus eſt apud nos vetus ille ad honeſtas diſciplinas animorum ardor. Illorum haec querela eſt, qui inani quadam antiquitatis ſpecie commoti faſtidire ſic praeſentia conſueverunt, ut eamdem ſemper fuiſſe humanae naturae conditionem vix ſentiant; quaſi vero aut qui ad gloriam modo contendant, nulli ſint, aut optimum quodque non fuerit omni aetate rariſſimum, multique veteribus temporibus extiterint Themiſtocles, qui ad conſequendum ſplendorem nominis mirabiliter inflammati alienis trophaeis e ſomno ſuſcitarentur.

Angelus Fabronius

Joanni Mariae Lampredio

S. P. D.

Cum philoſophiae partes multae ſint atque diverſae, nulla earum tam diligenter eſt colenda, ſi fructum quaerimus inſtitutionis, quam quae latiſſime patet, & ad quamlibet diſciplinam contendentibus auxilia plurima ferre poteſt. In quo ſi philoſophos ipſos interrogabimus, hanc ſibi quiſque laudem arrogabit, ſi autem ratione agemus, facile reperiemus illos, qui metaphyſici appellantur, haud injuria diſciplinae, quam profitentur, dignitatem utilitatemque ſupra ceteras extollere. De iis metaphyſicis loquor, qui innumeras & abſtruſiſſimas quaeſtiones ad exercendum, credo, unice ingenium excogitatas ac diu retentas longiſſime ablegarunt, totamque ſcientiam hypotheſibus ſpoliatam graviſſimarum rerum pertractatione concluſerunt. Quid porro nobilius atque utilius quam argumenta inquirere, quibus convincamur Deum eſſe, ejuſque vi & numine

omnia

omnia facta eſſe et ſervari, ab eo quoque dimanaſſe humanas mentes ſegregatas ab omni concretione mortali, atque propterea aeternas, ipſum ſolutum, liberum, optimum eſſe, et ſingulari providentia conſulere rebus humanis, nec ſolum univerſis, ſed etiam ſingulis, materiem inertem eſſe, neque ei ullam animorum proprietatem communem eſſe poſſe, his, quod corporibus adhaereſcere coguntur, inſtrumenta data eſſe ad ſentiendum, cogitandum, et ad abſolutam rationem obtinendam, quae eſt idem quod virtus. Haec atque alia hujusmodi, quae longum eſſet recenſere, in ipſis ſcientiae viſceribus inſunt. Quod vero in hujus poteſtate eſſe videtur quidquid a ſingulis rebus cogitatione abſtrahitur, quidquid ad generalia principia refertur, ejus utilitas longe lateque patet, et dominatur ipſa non modo in phyſica, a qua proprietates omnibus corporibus communes expenduntur, ſed etiam in geometria, in univerſa matheſi, in theologia, in juſti injuſtique ſcientia, in grammatica omnique arte liberali. Pictorem, poetam, muſicum interroga, quibus principiis ducantur, iisque pareant in ſuis artibus exercendis, et quae tibi reſpondebunt, ſui

juris eſſe contendet metaphyſica. Hujus quidem varia fortuna fuit. Poſtquam Ariſtoteles illius ſemina ſparſit, quae collecta a Grammaticis in unum veluti corpus coaluere, Arabes et Scholaſtici graviſſimam diſciplinam tot contaminarunt ſordibus, ut ad loquacitatem et contentionem ipſa unice uti velle viderentur. Sic cum diu in ſqualore jacuiſſet, extitit tandem vir ſummus Carteſius, qui commonefactus Baconis a Verulamio praeceptis, tanquam in aciem vocatus eſſet ad debellandos barbaros philoſophos, qui andabatarum more pugnabant, metaphyſicam ad novam, ut ita dicam, vitam revocavit. Sane neque ei vividum ingenium, neque judicium acre, et ad colligenda quae antecedebant cum iis, quae ſequebantur, idoneum, neque libertas atque audacia ad dogmata, quae ex ſe ipſo genuit, proponenda, et aliena evertenda defuit. Quanquam in eo erraverit, quod putaverit ideas innatas eſſe, habet tamen aliquid excuſationis ejus error, quod cum demonſtrandum ſuſcepiſſet in miſerabili ignoratione veri Peripateticos omnes verſari, hosque tanquam peſtem aliquam philoſophiae vitari debere, ne gloriam quidem iis relinquendam putavit, quod viderint veritatis judicium a ſenſibus

oriri. Conjuratorum ducem facile illum dixiſſes, qui nulli pepercit induſtriae, dum inveteratam tyrannidem deleret; nec dubito, quin mirere hominem, qui ita coepit philoſophari, ut de omni re ambigendum eſſe putaverit, postea quaſi aeſtu quodam ingenii abreptum universae naturae explanationem ſua diſciplina contineri putaſſe. Ejus diſcipulus Malebranchius felix fuit in ſenſuum et phantaſiae erroribus detegendis; ſed quod omnia ſe in Deo videre putaret, non cavit malum, quod in aliis ſanandum ſuſceperat. Magnopere ingenio ſuo pene ſummo et omnino ſingulari confidens Leibnitius accuratius et exquiſitius, quam ceteri ante eum omnes praeſtiterant, ſe de corporis et animae conjunctione, de Divina Providentia, et de materiae natura dictarum palam profeſſus eſt. Profecto ſi acumen et prudentiam continuiſſet ſuam in exponendis iis, quae dubitationem afferunt, neque abutens ad omnia aut monadibus (*ſi cum ipſo loqui fas eſt*) *aut* harmonia praeſtabilita, *aut* ſufficienti ratione, *aut* optimiſmo, *dilapſus fuiſſet ad praecipiendi explicandique rationem, melius famae ſuae conſuluiſſet. Felicius Jo. Lockius metaphyſicam nova illuſtrare*

luce ſibi ſumpſit, et quae de origine idearum, de mentis viribus, de vi et poteſtate vocabulorum copioſiſſime diſſeruit, talia ſunt, ut ei, ſicuti et Newtono, quos viros maxime Britanniae invidere ſolemus, nihil ad immortalem acquirendam gloriam defuiſſe videatur. Poſtquam eos commemoravi, qui in metaphyſica longe omnium principes eſſe judicantur, ceteros praeteribo, quibus cura fuit quaſi perpoliendi quemdam operis difficillimi extremum laborem. Sed proh dolor! quot inter hos exſtitere, quos tranſvorſos egit immoderata omnia explicandi licentia, nullaque eſt res tam ſacra, aut a Deo ipſo patefacta, aut ab Eccleſia judicata, quam a Religionis imperio iſti abjudicare minime ſint conati. Quidquid ab iis litteris mandatum eſt, olere malitiam, et clamitare calliditatem facile judicabis; et quanquam adverſus hoſce metaphyſicae corruptores ſaepe vocem ſancta emiſerit Religio, non tamen eorum frenari potuit audacia, et ſerpit infinitum malum, idque manat in dies latius, et conſuetudine ipſa peccandi maxime roboratur. At quamvis per metaphyſicos plura Religioni importata ſint mala, a qua culpa ne abfuit quidem graviſſimarum di-

ſputationum inventor et princeps longe omnium in iiſdem pertractandis nobiliſſimus Lockius, alios tamen maxime admiramur, qui in metaphyſicis confutandis ipſi ſummi metaphyſici fuerunt. Qui ergo diſcernes aliorum temeritatem ab aliorum prudentia? Omnes homines, qui ſe ceteris animantibus praeſtare ſtudent, ſumma ope niti debent, ut aſſequantur notitias, quas nobis natura ingenuit virtutum et vitiorum, ut Deum agnoſcant et colant, ut animi motiones atque rationes, legum neceſſitatem et principia, et quidquid ad honeſtarum rerum proſperitatem, in quo ſita eſt humana felicitas, pertinet, intelligant, quae ſi conſentanea erunt divinis oraculis, conſervabit metaphyſica majeſtatem et dignitatem ſuam. Abutuntur impie et ingrate nobiliſſima diſciplina, qui per eam ſtudent offundere tenebras et caliginem rebus, quae ex aeterna veritate derivarunt, ut abutuntur quoque ii, qui omnia non modo omnium magnarum rerum, ſed etiam tenuiſſimarum ſic perſequuntur principia, ut eorum rationes ſane tenebricoſiſſimas conſequi te poſſe deſperes. Hoc eodem vitio non mediocriter laboravit Jo. de Vico, cujus vitam ſcribendam ſuſcipimus. Ho-

minum genus in diverſis antiquiſſimis nationibus ita conſideravit, ut earum naturam, leges, ſcientiam, conſuetudines, fortunam, vices ſe divinaſſe putaverit, nec modo quid factum ab iisdem fuerit, ſed quid optimum factu eſſet perſequitur ad beatam obtinendam vitam. Sapientius tu quidem agis, qui de hominum moribus, de ratione vitae, de legum origine, de concordia, de communi civium, de hominum, de gentium jure pro eo, quod in Academia noſtra ſuſtines, munere, ita diſputas, ut omnia referas ad naturalia principia. Perge Academiam ipſam tuis ſcriptis illuſtrare, meque, ut facis, ama. Vale.

Piſis Idib. April. MDCCLXXXV.

JOANNES DE VICO

JOANNES DE VICO Neapolitanus. Scripſit ipſe confidentius de ſtudiis ſuis honeſtiſſimis rogatu Joannis Artici de Portia, narrationemque illius magna ex parte ſequemur, quod in ea exponenda tantum tribuerit veritati, quantum tribuere neceſſe eſt hominem, quem non obcaecaverit φιλαυτία. Quod ejus prima aetas inciderit in ea tempora (nam editus in lucem eſt an. MDLXX.) quibus perverſe et ſcribebant et docebant homines, animum oſtendit alienum a ſtudiis, et praeſertim a philoſophia, quam Arabes omni mendacio contaminaverant. Cum vero grandior factus coepiſſet per ſe ſe ad veritatem revocare rationem, tanto incenſus eſt deſiderio tenendi illam laudandarum omnium artium procreatricem atque parentem, ut ſtatuerit pedem domo non efferre, dum non compenſaviſſet praeteritae aetatis neglegentiam vel potius faſtidium, per-

Digitized by Google

verſaeque inſtitutionis vitia. Dulcedine in primis captus rerum metaphyſicarum ajebat ſe inveniſſe in Suareſii libris, quo paſceret animum hujuſmodi lautitiarum cupidiſſimum. Tum ab eo aegre durus pater obtinuit, ut aliquem laborem quoque impertiret hominum periculis ſublevandis tractatione juris civilis et pontificii. Non modo gaviſus eſt, ſed etiam triumphavit ſe imperium exercuiſſe in filium, quando ab eo prima cauſſa publice pro ſe ipſo defenſa eſt, quae tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quae non digna ejus patrocinio videretur. Sed hujus forenſis concertatorii judicialis generis maxime taedebat Joannem, et habere ſcientiam quaeſtui, quamvis re familiari non abundaret, non inſuave modo, ſed turpe judicabat. Itaque eam juris prudentiam excoluit, qua divinae religionis et humani officii ratio exquiritur; et quod huic ſcientiae plurima adjumenta atque ornamenta attuliſſe audivit Henricum Caniſium et Ermannum Vultejum, eorum ſcripta aſſidue pervolutabat. Erat eo tempore in illo ſumma gracilitas et infirmitas corporis, cui cum accede-

ret labor continuus, non procul abfuit a vitae periculo. Quieturus ergo conceſſit Iſciam apud Angelum Roccam ejus civitatis Epiſcopum, qui ſe beatum putabat, quod conſuetudine frueretur Joannis, ab eoque in jure civili erudirentur fratris ſui filii. Otii fructus fuit non relaxatio, ſed contentio animi, et quo plus roboris recuperabat, eo renovabat acrius ineuntis aetatis ſtudia. Poeſis non illa amatoria, ſed quam doctrina morum ornat corroboratque, divinarum rerum ſcientia hauſta praeſertim ex clariſſimo Catholicae Eccleſiae lumine Auguſtino, illi non linguae ſolum, ſed etiam animi et virtutis magiſtri Plato, Ariſtoteles atque Cicero, et quidquid φιλοσοφυμενων Graeci et Latini ſcriptores reliquerunt, adeo occupabant Joannis mentem, ut nullus locus vel neceſſariis oblectationibus relinqueretur. Amabat praeſertim in Platone rationem ſubtiliter diſputandi in contrarias partes, et artificioſam inventionem expolitionemque locorum, ex quibus omnis argumentatio et vel ipſa ſophiſmata ad omnem diſputationem inveniuntur; et quaſi comitem ac miniſtram eorum, qui civitatis perſonam ge-

runt, legumque ſunt cuſtodes, eſſe debere dicebat artem vera atque falſa, quibuſque poſitis, quid ſequatur, diſtinguendi, atque judicandi. Auctoritate atque exemplo Platonis, geometriae quoque operam dedit, ſed hanc brevi deſeruit, quod hujus campus viſus eſt exiguis finibus circumſcriptus menti, quae vagari libere in immenſo rerum metaphyſicarum ſpatio exoptabat. Nihilo tamen minus geometrarum concludendi methodum plurimum et laudavit et ſecutus eſt, adeoque huic tribuit, ut maluiſſet adoleſcentes prius in geometria, quam in logica exerceri. Nulli fere phyſicorum illi probabantur, et ne Gaſſendus et Carteſius quidem ipſi, qui larga luce celebriores ſcholas tum compleviſſe judicabantur. Quare aut contempſit phyſicam, aut hanc quaeri a ſe oportere ajebat in Pythagoreorum libris, dum aliquis adeſſet Deus, qui hominibus naturae myſteria detegeret. Hac copioſa doctrinae ſupellectile ditatus rediit in patriam, ſeque ad Joſephum Lucinium applicuit, hominem ſumma eruditione atque auctoritate, a quo multis graviſſimiſque in rebus adhibitus fuit. Hu-

jus non modo judicio ac commendatione, ſed editis etiam duabus panegyricis orationibus, paullo latius dimanavit ad exiſtimationem hominum, et tum magnorum ſuorum laborum multarumque vigiliarum fructum ſe cepiſſe maximum judicavit, cum publicus rhetorices magiſter honorificentiſſimo decreto declaratus eſt. Sibi videbatur eorum ſtudiis, qui litteris delectabantur, debere hoc munus, ut quotannis, dum intermiſſae exercitationes inſtaurabantur, ex illis rebus univerſis, ex quibus civilis vitae ratio et humana felicitas conſtat, aliquod exprometeret argumentum, quod eloquentiae luminibus illuſtraret. Quod mente nihil homini dedit Deus ipſe divinius, et quod illa ad rerum omnium ſcientiam ſit aptiſſima, plurimum intereſſe ait ejus vires noſcere, quo veluti ſtimulo excitentur homines ad magna ſuſcipienda atque perficienda. Ut magnifice ejus extulit facultates, quam facilis et expedita, quantaeque ſit efficacitatis in pluribus variisque rebus uno eodemque tempore aſſequendis, niſi aut negligentia, aut vitioſa obſtet inſtitutio! Atque haec in priori oratione, quam

dixit an. MDCLXXXIX. Altera tota eſt in virtute laudanda, revocandiſque hominibus a voluptatibus, quae ſenſibus percipiuntur, quibus qui ſe ſe dediderunt, neceſſe eſt illos continuis jactari fluctibus, ut nunquam conquieſcant. Poſt haec multa malorum ſemina expoſuit; et quod ei erat propoſitum non tam conſulere virtuti quam litteris, vehementiſſime inſectatus eſt malignos criticos, pertinaces ac litigioſos homines, quaſi libertas non in quadam moderatione, ſed in pervicacia poſita ſit, et illam vanorum turbam, qui fraude, mendacio, aliisque malis artibus in opinionem doctrinae irrepere ſe poſſe putant. Ut res ab ſe dictae prope manu tentari poſſent, vita, factis ſummorum virorum easdem illuſtravit, et coloribus ſuis tabulam pinxit, in qua felicitatem eorum populorum, qui recte uti didicerunt doctrinis et artibus, licet aſpicere. Quod nati ſumus ad ſocietatem communitatemque generis humani, omnia noſtra ſtudia ad hanc referenda eſſe ait, in quibus ne quid perturbatum et praepoſterum ſit, ita inſtituenda docet, ut poſtquam pueri ab ineunte aetate ſe

imbuerint doctarum linguarum rerumque geſtarum notitia, ad geometriam ducantur, per quam ratiocinandi artem diſcant, ſicque praeparentur ad contemplandam univerſitatem naturae in phyſica, res divinas et totam illam rerum abſtractarum, ut loquuntur, ſeriem in metaphyſica, ad noſcendas mentis vires, ad illam corroborandam doctrina morum, quo, domitis cupiditatibus, puri et minime ſuperbientes ad *Revelatam* tandem theologiam et Chriſtianam juris prudentiam accedant. Haec quaſi materies fuit, quam ſex orationibus tractavit, ex quibus conjici potuit talem eſſe praeceptorem Joannem, ut vel indormientes excitare, aut ferocitate exultantes animos moderari, iiſque facilioribus uti potuiſſet. Ipſe vero laetabatur ſe artem oratoriam, quam multi indotatam atque incomitatam et incomptam eſſe dolebant, non ſolum verborum, ſed etiam reconditarum rerum dote locupletaſſe atque ornaſſe. Non tamen has vulgavit orationes, et homini Cappuccino, qui excellens tum habebatur orator, donavit. Extat in manibus hominum illa, quam coram Card. Grimanio,

qui Caeſaris nomine Neapolitanum Regnum gubernabat, dixit, in qua non minus philoſophari ſibi viſus eſt, cum collatis inter ſe iis priſtinis, et his recentibus temporibus, oſtendit quanto nos inferiores ſumus, eo magis adlaborandum, ut felici rerum divinarum et humanarum ſcientiae conjunctione ſuperiores etiam, ſi fieri poteſt, evadamus. Eo tempore coepit quaerere et ſcrutari omnia, quae ad antiquorum ſapientiam pertinebant, admonitus ab immortali opere, quod hac ipſa de re ſcripſit Baco a Verulamio, cui ſe aliquid addere poſſe ſperavit. Scripſit itaque, vulgavitque anno MDCCX. librum *de antiquiſſima Italorum ſapientia ex linguae Latinae originibus eruenda*, in quo ſi affirmabis plus ingenii et acuminis, quam veritatis apparere, haud ego repugnabo. Quod nulli ad nos uſque pervenerunt libri antiquiſſimorum philoſophorum, ex quibus judicari poſſit, quae olim viguerit in Italia philoſophandi ratio, id ſe colligere poſſe putavit ex origine et ſignificatione diverſorum verborum. Sunt enim quaedam, ait ipſe, in Latii lingua, quae ita olent ſapientiam, ut non ab vulgi uſu,

ſed ab interiori doctrina profluxiſſe videantur. At cum Romani ad Pyrrhi usque tempora in ſumma doctrinarum omnium ignoratione verſati fuerint, ea arripuiſſe illos oportet ab vicinis nationibus, in quas aut Pythagorae doctrina permanavit, aut quae antea, ut Etruſci, praeſtantiſſimis inſtitutis et artibus erant excultae. Cum ab his vocabulis *factum* et *verum*, *cauſſa* et *negocium* eamdem rem ſignificari affirmet, cum expendit, quid ſonent verba *intelligere* et *cogitare*, cum alia hujuſmodi ſuis ponderibus examinat; ea de Deo, de mente humana, hujusque facultatibus vetuſtiſſimos Italorum ſenſiſſe judicat, ut prudentiſſimi et ſapientiſſimi haberi debeant. Originem ſcientiarum perſequitur ſane acute, ſi non ſemper vere. Quae coarctavit, et peranguſte referſit in univerſo opere ſi dilatare voluiſſet, multis paginarum millibus ſibi opus fore affirmabat. Gloriabatur tamen ſe nihil quod referret ſcire de antiquiſſimorum Italorum metaphyſica reticuiſſe. Valde doluit, quod Scriptores Italicarum Ephemeridum multa eo in libro obſcura, quaedam rationibus et argumentis

non ſatis confirmata eſſe affirmaverint, quibus ita reſpondit, ut correctoribus nec amicis, nec aequis. Non faciam ut enumerem quae ipſe de *punctis metaphyſicis*, de *ſubſtantiae indiviſibilibus virtutibus*, aliisque hujusmodi rebus pro defenſione ſua protulit, cum in his enodandis fruſtra laboraſſe mihi videatur. Sed ita natura comparatus erat, ut ei maxime placerent ea, quae magis a vulgari ſenſu erant remota. Cum quae ad metaphyſicam pertinebant hoc in libro pertractaſſet, de phyſica quoque et morali antiquiſſimorum Italorum ſe ſcripturum pollicitus eſt, quod ab illo minime effectum fuiſſe ſuſpicor, quamvis hujuſmodi inveſtigationibus in primis oblectaretur. A ſeveritate horum ſtudiorum cum Vicus relaxare animum vellet, ad manſuetiores muſas ſe ſe referebat, et quod erat in ejus mente plurimum roboris et nervorum, hac ipſa vi tincta ejus carmina videbantur. Omnino ſunt grandia ac ſublimia quae cecinit de laudibus Maximiliani Bavarorum Ducis; et granditate etiam quadam et doctrina commendatur ode, quam de origine vicibusque poeſis ſcripſit. Tam bo-

nus

Digitized by Google

nus erat laudator Joannes, ut aeternitatem immortalitatemque hominibus donare poſſe putaretur, qua de cauſſa rogatus eſt a Traetti Duce, qui fuerat unus ex cariſſimis diſcipulis ſuis, ut vitam resque geſtas exponeret Antonii Caraffae gentilis illius. Id amplum et decorum exiſtimavit: nemo enim virtutem praeſtantiſſimi Ducis non honorabat, de quo ita ſcripſit, ut res narraverit non eleganter ſolum, ſed etiam ornate, regiones ſaepe et pugnas deſcripſerit, belli, pacis, ac foederum jura perpenderit, et tracta quadam ac fluenti oratione interpoſuerit quoque conciones atque cohortationes. Quare fecit, ut vere dictum a Clemente XI. fuiſſe videatur, *Vicum hominis immortalis hiſtoriam perfeciſſe immortalem*. Quod ei tum neceſſe fuit in manus ſumere Grotii opus *de Iure belli et pacis*, tanto amore in hunc Scriptorem exarſit, ut tribus aliis eumdem adjunxerit, Platoni videlicet, Tacito et Baconi a Verulamio, quos amores et delicias ſuas eſſe dicebat. Porro cum tam ſtuderet nihil Ioannes, quam noſcere hominem, et qualem hunc eſſe oporteat doceat mirabiliter Plato, qua-

lis vero ſit exemplis declaret Tacitus, ſolitus omnia malitioſorum cogitata penetrare atque detegere, horum ſcripta non legebat modo, ſed continua meditatione commentabatur. Stupeſcebat vero unum Baconem, edito libro *de augmentis ſcientiarum*, adeo multa admonere potuiſſe homines, quae eſſent ab iis corrigenda atque perficienda, ſi ad perfectam ſapientiam pervenire cuperent. Denique quod eam praeſtabiliorem ſcientiam putabat Joannes, rerum divinarum atque humanarum naturam cauſſasque noſcere, et omnem bene vivendi rationem tenere ac perſequi, admirabatur Grotium feliciter adeo conjunxiſſe philoſophiam cum theologia, ut illo duce, rite judicare poſſimus quae fuerit ratio, recta ne an ſecus, qua omnium temporum nationes omnes rem publicam adminiſtrarunt. Verum quid ipſe quoque poſſet in hujusmodi doctrinis experiri voluit, et rerum multarum obſcuras et neceſſarias intelligentias, quas quaſi fundamenta quaedam novae ſcientiae ſparſerat in orationibus ſuis, enodare atque dilatare ſibi propoſuit. Huc referri debent libri, alter *de univerſi juris uno princi-*

pio et fine, alter *de conſtantia jurisprudentiis* duas in partes diviſus, quarum altera inſcribitur *de conſtantia philoſophiae*, altera *de conſtantia philologiae*. Quaſi anteſignanus operis fuit oratio quaedam ab eo dicta an. MDCCXIX. in ſtudiorum inauguratione, qua ſic univerſum argumentum expoſuit: *omnis divinae atque humanae eruditionis elementa tria, noſſe, velle, poſſe; quorum principium unum mens, cujus oculus ratio, cui aeterni veri lumen praebet Deus .... atque ideo de divinarum atque humanarum rerum notitia haec agam tria, de origine, de circulo, de conſtantia, et oſtendam origines omnes a Deo provenire, circulo ad Deum redire omnes, conſtantia omnes conſtare in Deo, omnesque eas ipſas praeter Deum, tenebras eſſe et errores*. Variae ac diſcrepantes fuerunt de hoc opere eruditorum virorum ſententiae. Qui leviter docti erant, et qui ſoliti erant metiri omnia dictis veterum, ab eo voluiſſe everti ſolidiora ſapientiae principia omnium ſaeculorum, omniumque nationum comprobata conſenſu, et quaſi virtutis lumen extingui palam dictitabant. Qui vero a

metaphyſica ceteriſque doctrinis erant inſtructi, et qui ex aequo et bono, non odio atque invidia judicabant, pleniore ore illud ipſum opus laudabant, quod in eo nova multa atque inopinata, et utilitate magnitudineque praeſtabilia continerentur. Mihi inſtar omnium erit veriſſimus et ſapientiſſimus judex Joannes Clericus, cujus oratio, quam in ſecunda parte voluminis XIII. Bibliothecae veteris et recentioris invenies, hanc habet ſententiam. „ Opus refertum eſt re„ conditis abſtruſisque rebus variisque ob„ ſervationibus, quas auctor coarctavit, et „ peranguſte referſit, quae ſi dilatandae a „ nobis atque explicandae eſſent, multis ſa„ ne paginis egeremus. Geometrarum mo„ re illud ipſum texuit, quo facilius quae „ vellet perſuaderet lectoribus ſuis. Hi ve„ ro niſi attente, patienter et a capite ad „ umbilicum uſque ſine intermiſſione idem „ perlegerint, et niſi ſe prius aſſuefecerint ſti„ lo atque ideis auctoris, multa illos ef„ fugient nova, curioſa, et quae magna„ rum continent principia rerum. Ab anti„ quiſſimis temporibus ad Annibalis uſque in

» Italiam adventum celebriores epochae ab
» ipſo commemorantur, et inſigniorum Scri-
» ptorum de iis errores notantur. Narrat
» vero, judicat ſapienter, adeoque doctri-
» na et eruditione omni abundat, ut nul-
» lius aeque in poteſtate philoſophia, ju-
» ris prudentia et philologia, quas praeſer-
» tim excoluit, fuiſſe videantur ». Non contentus Clericus publico hoc teſtimonio, privatis litteris appellavit Vicum, in quibus plena erant laudis et gratulationis omnia. Addidit haec univerſis Italis glorioſa: *vidi multa et egregia tum philoſophica, tum etiam philologica, quae mihi occaſionem praebebant oſtendendi noſtris Septentrionalibus eruditis apud Italos non minus quam apud ipſos acumen atque eruditionem inveniri, immo vero doctiora atque eruditiora dici ab Italis, quam quae a frigidiorum orarum incolis expectari queant.* Si quaeres, num ob haec praeclara ingenii monumenta praemium ullum a civibus ſuis reportaverit Vicus, dolebis profecto, ut ipſe vehementer doluit, vel negatum ei munus fuiſſe docendae publice juris prudentiae, cujus dignitatis fuerat defenſor aſſiduus, quam-

que ſuis ſcriptis plurimum illuſtraverat. Quapropter de injuria et iniquitate hominum ſaepe ſic querebatur cum conjunctioribus, ut nullum niſi cum muſis et doctrina ſe habere velle commercium videretur. Ceterum ex immenſo doctrinarum campo nullum genus, in quo utilius et jucundius verſaretur ſe potuiſſe eligere putabat, quam in quaerendo quid ſit homini tributum natura, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique cauſſa nati et in lucem editi ſimus, quae ſit conjunctio hominum, quae naturalis ſocietas. His enim explicatis, fontem legum et juris inventum eſſe nemo dubitabit. Quod ei ſemper mos fuit in his ſtudiis inuſitatas vias indagare, tritas relinquere, reddidit rationem cur id faceret, patefactis ceterorum ſcriptorum aut erroribus aut ſtultitiis, qui a naturae regula in ſuis tradendis dogmatibus deerraverint. Poſt id, poſitis quibuſdam capitibus quaſi ſcientiae fundamentis, inveſtigavit, explicavitque *ortum humanorum morum cum quadam chronologia hiſtoriarum Graecarum, quas ob-*

ſcuras et fabuloſas dicimus, ſicque principia et cauſsas rerum, earumque progreſſus patefacit, rebusque remotiſſimis adjungit atque annectit recentes, ut quidquid profert, ab exquiſita quadam ratione atque doctrina proficiſci videatur. Atque haec inedita reliquit, propterea quia majus quiddam ſe confeciſſe putavit, edito an. MDCCXXV. libro, quem ad Academiam Neapolitanam inſtituit cum Italica inſcriptione: *Principii d' una ſcienza nuova d' intorno alla natura delle nazioni, per li quali ſi ritrovano altri principii del diritto univerſale delle genti*. Hoc opus ei in amore et deliciis fuit, et glorians affirmabat ſe poſteris monumentum reliquiſſe, ex quo judicium facere poſſent, quantum in hoc ſtudiorum genere valeret, quantumque elaboraſſet. Quapropter de illo augendo et apertius explanando diu multumque cogitavit, quod ſe tandem perfeciſſe dicebat, cum tertio illud ipſum anno MDCCXLIII., qui Auctoris vitae fuit ultimus, in lucem edidit. Contemplanti illi omnium nationum ortum et progreſſum, tria oſtendunt ſe et occurrunt per quae homines civili conciliatione et ſo-

cietate inter ſe conjungi coeperunt, religio, matrimonia et ſepulturae. Poſt diluvium cum homines exleges, feri atque agreſtes tota terra diſperſi vagarentur, nihil tam praepoſtere, tam monſtroſe cogitari poteſt, quod non proprium eorum eſſet. Difficile eſt tempus definire, quo ii ratione et conſilio, quaſi quadam luce ac lumine vitae, uti coeperint; id tamen eveniſſe Vicus putat ducenteſimo poſt diluvium ipſum anno. Exſiccatis enim aquis aut in flumina derivatis (inquit ille) propter exhalationes terrae cum eſſent tonitrua et fulgura, et facile, tonante caelo, Deum aliquem regnare crederent homines, timore perculſi ſpeluncas et antra petierunt, ad quae cum feminae quoque confugerent, aut traherentur, inſtar Homerici Polyphemi connubia concelebrarunt. Conjugatis tali modo viris et mulieribus, familiarum coeperunt diſtingui ſtatus, et qui nati erant ex iis liberi, ne inhumata projicerentur parentum cadavera, et ut haberent quo vitam ſuſtentarent, occupata a ſe loca ſtudioſe conſervarunt. Jure aſyli atque vi auctae ſunt familiae. Nam cum multi ſupereſſent, qui in a-

gris ferarum more vagarentur, ii aut a robuſtioribus capti, aut ſponte dedititii, pericula evitandi cauſſa, in famulatu fuerunt. Multiplicati, maleque habiti famuli tumultuantur, et ad eos coercendos, cum ſingulae non valerent, plures conſpirant atque conſociantur familiae. Hinc rerumpublicarum, quas ariſtocraticas dicimus, origo. Quas utilitas conjunxit, eadem diſſociavit; et cum quaelibet aut dilatare, aut ſuos tueri fines vellet, orta inde ſunt bella, foedera, paces. Bellipotentes populi juris et naturae aequabilitatem facile agnoverunt, et dum ſtudent a cervicibus ſuis jugum ſervile dejicere, ita convellunt priſtinum reipublicae ſtatum, ut dominatio inter eos omnes eſſet communis, qui ejusdem civitatis eſſent. Tranquillatis rebus, intellexerunt homines belli ſubſidia et pacis ornamenta a commercio, ab artibus et ſcientiis petenda: hinc commoda vitae, voluptates et luxus, quibus cum nimium indulgeretur, facile extitere ſtudia divitiarum atque honorum, ceteraeque hujuſmodi ambitiones, injuſtitiae, et illa omnia, quae ſemina ſunt civilium diſcordiarum. Dum ab his laceratur

debilitaturque reſpublica, non deerit certe, qui patriam prodere, et tyrannidem occupare conabitur. Ita Imperiorum patefacta origine, ea, quae inde manarunt, Vicus percenſet. Quod antiquiſſimum e doctis apud Graecos fuerit genus poetarum, ſtudioſe quidem utitur eorum teſtimoniis ad illuſtrandam civilem hiſtoriam vetuſtiſſimarum nationum. Indicat originem poeſis, idololatriae, divinationis, ſacrificiorum, omneque id quod metaphyſica, poetica contineri ait. Tranſit inde ad logicam, quo loco omnia illa perſequitur, quae ad poeticam locutionem atque inventa poetica, ad litterarum, hieroglyphicarum notarum et linguarum originem pertinent. De morali et politica ea diſſerit, ut virtutum, morum, legum ortum poſſis agnoſcere; et cum ſaepe redeat ad Imperiorum originem, ſententiam eorum confutat, qui Romulum Monarchiae conditorem, et Junium Brutum popularis libertatis fundatorem dixere. Ac ne illa quidem praetermittenda putavit quae ad phyſicam, coſmographiam, aſtronomiam, chronologiam et geographiam ſpectant, glorians ſe uno volumine comprehendiſſe omnia

a ſapientiſſimis viris excogitata et tradita, ex quibus effecta eſt philoſophia. Quod nihil tam difficile eſſe putabat, quin quaerendo inveſtigari poſſit, naturam, mores, jura, leges, linguas, characteres, juris prudentiam atque judicia divinae, heroicae et humanae aetatis, quae multis fabularum involucris et quaſi velis obtendebantur, ſe omnium primum detexiſſe gloriabatur. Homeromaſtigem eum facile dixeris, cum perſuadere tibi conetur, in divino poeta inordinatam et incompoſitam collectionem diverſarum hiſtoriarum potius, quam poeſim inveniri. Perantiquiſſimarum nationum terris peragratis, earumque viciſſitudinibus animadverſis, tempora praeterita cum recentibus ſic comparat, ut quamdam formam naturalis reipublicae omni ex parte perfectae exprimere ſtudeat; et ex ea quale aedificium ſit univerſi operis, et quam intemperanter ſaepe Auctor abuteretur ſuo acerrimo ingenio in conſectandis umbris et imaginibus veri licet conjicere. Mihi ſane tenebrae ſunt plura Vici dicta. Tacere tamen non debeo laudi illi datum a doctis viris fuiſſe, quod in tanta

caligine, qua tegebatur ultimarum nationum hiſtoria, clariſſimum lumen praetulerit multaque vera aut veroſimilia detexerit *. Quis porro non fatebitur, ut unam rem eamque graviſſimam exempli cauſſa ponamus, Deum ipſum Judaeis ducem et magiſtrum fuiſſe, ſi cum Vico comparationem faciat hujus populi cum ceteris gentibus? Hae enim ſenſim et pedetentim et naturali quadam progreſſione

* Gloriari in primis videbatur Vicus teſtimonio Philippi Pirelli hominis ſane multa doctrina exculti, qua commendatus ad Cardinalatum pervenit. Ejus Italicum epigramma de Vici operis laudibus hoc loco referre minime pigebit.

Deſti da Giove in pria ſi volſe a lui
L' umana gente, e ſue donne diſperſe
Raccolſe, e di terren lieve coperſe
L' oſſa inſepolte de' parenti ſui.
Quindi altri poi regnò ſul capo altrui,
E per ſuo ſcampo il giogo altri ſofferſe;
Quindi il nobil conſorzio e le diverſe
Cittadi, e le Provincie, e i Regni a nui.
E ben fur' provvidenza, è voci ed opre
Del Ciel, che a noſtra guida accende ed arde
I lumi, onde le menti illuſtra e copre,
Tu ſveli tutto il bel lavoro antico,
E ſcopri ancor l' età future e tarde.
O ſaggio ed immortal divino VICO.

a ferinis moribus diſceſſere, et ad artium ac ſcientiarum cognitionem pervenere, cum Judaeorum natio ſummum hoc repente, quod ſine Dei voce fieri non poterat, fuerit conſecuta. Mitto alia plura, quae a laudatoribus Vici efferuntur, quorum teſtimoniis ſaepe utebatur ad reprehenſorum retundendam, ut ipſe ajebat, aut invidiam, aut ignorantiam. Quando Vicus ſecundo hoc opus edidit, Neapolitani regni clavum tenebat Carolus Borbonicus, cui cum tam nihil curae eſſet, quam ut eximiis propoſitis praemiis eliceret atque invitaret magnos homines ad praeclara ſuſcipienda, ſarciendamque jacturam, quam, dominantibus Auſtriacis, fecerant iis in regionibus litterae, novo munere, eoque honeſtiſſimo, cum acceſſione ſtipendii octingentorum, ut loquuntur, ducatorum eumdem decoravit. Factus enim eſt Regius Hiſtoriographus. Ille vero, quanquam nihil ſe habere, in quo melius et jucundius non inertem ſenectutem conſumeret, et maximas res eſſe intelligeret in hac memoria et aetate noſtra hiſtoria dignas, cuperetque beneficentiſſimi Regis laudes illuſtrare, verebatur tamen ne cum iſti rei tantum

operae quantum vellet et opus erat (hiſtoria enim nec inſtitui poteſt niſi praeparato otio, nec exiguo tempore abſolvi) dare non poſſet, opinionem, quam de ſe omnes habebant, minueret potius quam augeret. Praeter quam quod periculoſam eſſe offenſionem potentiorum videbat, ſi res non ex annalium vetuſtate, ſed ex ſermone hominum, recentibusque monumentis eſſent eruendae. Profecto vera animum illius praeſenſiſſe declarant quae poſtea accidere Jannonio, qui in rerum omnium certamen atque diſcrimen propter libertatem ſcribendi devenit. Quapropter bene ac ſapienter ſe geſſiſſe mihi videtur vir amiciſſimus Franciſcus Danielius, qui aliorum commonefactus periculo, ſe ſatis ſuo muneri facturum putavit, ſi Friderici II. Caeſaris res geſtas atque leges illuſtraret. Sed ad Vicum revertor, qui non tam a difficultate rei, quam a provecta aetate, valetudinis incommodis et rerum domeſticarum anguſtiis ſibi dari juſtam excuſationem arbitrabatur, ſi hiſtoricum aliquid minime in lucem proferret. Sed haec minime eum vindicabant a labore, quem

propter inſtitutionem adoleſcentium ſuſtinebat. Non enim jejuniter et exiliter de rhetoricis quibusdam praeceptis diſputabat, ſed fontes philoſophiae, humani ac divini juris ceterarumque doctrinarum, ex quibus eloquentia dimanat, ſtudioſiſſime aperiebat. Siqui vero minus idonei eſſent ad has res intelligendas, eos e ſchola domum deducebat exercendi ipſos cauſſa in veterum ſcriptorum lectione, imitans nutrices, qui omnia minima manſa, ut ajunt, infantibus pueris in os inſerere ſolent. Mirabantur vero omnes ſingularem hominis, cui nemo par in civitate ponebatur, humanitatem facilitatemque, pene ut ſe ipſum oblivisci videretur, dum commodis utilitatique ſuorum civium ſerviret. Qui totum vitae ſuae cursum in animi contentione prope incredibili confecerat, extremo memoriam perdidit, ſic ut cum ei ſaepe verba deeſſent, nutu, quod interpres divinabat, affirmaret, aut negaret. Patienter tamen hoc malum, ut et ceteras, quas in vita accepit, calamitates pertulit, quod nihil non ab illo obtineret pietas in Deum, ſine qua omnia, et

vel ipſam doctrinam, flocci facienda affirmabat. Ceterum erat ad iram propenſus, ut ſunt fere omnes boni, et laceſſitus ſe acerrimum ſui defenſorem oſtendit. Vixit ſimpliciter, fideliter, vitaeque hominum amice, et ſuos quam qui maxime dilexit. Nam ex Catharina Deſtita binos ſuſcepit liberos, quos ſic inſtituit, ut majorem natu in munere publici eloquentiae magiſtri ſucceſſorem habuerit. Neapoli diem obiit ſupremum XIII. Kal. Feb. an. MDCCXLIV., omnesque ejus mortem doluerunt, quod fama et opinio ſingularis de illius doctrina omnem extinxiſſe invidiam viderentur.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Canzone in morte del Conte D. Antonio Caraffa Generale in Ungheria. In Vinegia per lo Ponzatti 1693. in 4.

Affetti di un diſperato; Canzone. In Vinegia pel Ponzatti 1693. in 4.

Latinae orationes. I. pro auſpicatiſſimo in Hiſp. reditu Franciſci Benavidii S. Stephani Com. II. in funere Catharinae Aragoniae Sêgorbienſ. Duc. III. pro felici ad Neapolitan. ſolium aditu Philippi V. IV. de noſtri temporis ſtudiorum ratione. V. de mente heroica. VI. in Caroli et M. Amaliae utriuſque Sicil. Regg. nuptiis. *Latinas has orationes, poſtquam editae ſeparatim fuerant, uno volumine collegit Franciſcus Danielius Neapoli an. MDCCLXVI. et praefatione illuſtravit.*

Nelle nozze di Vincenzio Caraffa con Ippolita Cantelmi Stuart. Canzone. *Extat* nella ſcelta dell' Acampora in Napoli. 1701.

Acta funeris Caroli Sangrii et Joſephi Capycii. Neapoli 1701. in fol.

Tre Canzoni ſorelle in lode di Maſſimiliano Duca di Baviera. *Extant* nella ſcelta del Lippi in Lucca 1708.

De antiquiſſ. Italor. ſapientia ex linguae Latinae originibus eruenda libri tres. Neapoli 1710. in 8. *Hujus operis primus tantummodo liber editus fuit, qui inſcribitur* Metaphyſicus: *ſecundus et tertius nunquam lucem aſpexere.*

Riſpoſta di . . . nella quale ſi ſciolgono tre gravi oppoſizioni fatte da dotto Signore contro il

primo libro de antiquiſſ. Italor. ſapientia. Neapoli 1711. in 8.

Riſpoſta di . . . all'Articolo X. del Tom. VIII. del Giornale de' Letterati d'Italia. In Napoli 1712. in 8.

De rebus geſtis Antonii Caraphaei. Neapoli 1716. in 4. max.

De uno univerſi juris principio et fine. Neapoli 1720. in 4.

De conſtantia jurisprudentis lib. II. I. de conſtantia philologiae. II. de conſtantia philoſophiae. Neapoli 1721. in 4.

Giunone in danza poema di nuova idea, lavorato su' principj della mitologia ſcoverti dall' Autore. In Napoli 1721. in 4.

Canzone dell' origine, progreſſo e caduta della poeſia. *Extat* nel Tom. II. della ſcelta dell' Albani in Firenze 1723.

Orazione in morte di Angela Cimini Marcheſana della Petrella. In Napoli 1727. in 4.

Principj di una ſcienza nuova d' intorno alla natura delle nazioni ec. In Napoli 1743 in 8. gr. editio tertia.

Vindiciae adverſus Acta Lipſienſia. *Horum enim Scriptores illud opus de principiis &c. cenſuris confixerant.*

Carmina varia Latina et Italica, et inſcriptiones.

OPERA INEDITA

Orationes VI. in ſolemni inauguratione ſtudiorum habitae.

De aequilibrio corporis animantis.

Solemnis praelectio ad l. 1. ff. de praeſcriptis verbis.

ANGELUS FABRONIUS

LAZZARO SPALLANZANIO

S. P. D.

PHiloſophi, qui ſaepe multi ſunt in diſciplinaru mortu et progreſſu inveſtigando, facile in eam deſcenderunt ſententiam, primogenitam fuiſſe morum ſcientiam, quippe cum hominibus ipſis procreatam. Ut enim inter hos ſocietas eſſe coepit, quam neceſſitas ac natura ipſa conciliavit, et rubuſtiores quidam aequabilitatem communis juris tranſierunt, effecta eſt injuſti cognitio, eorumque vitiorum, quae oriuntur a dominandi cupiditate. Multis injuriis agitata atque jactata aequitas, patentius ipſa apparuit, extititque tali modo juſti ſcientia, donataeque virtutis nomine eae actiones fuerunt, quae opponebantur iis, quae e vitiis ortum habebant. Poſtquam homines intellexerunt quid eſſet juſtum et injuſtum, quod omnis boni et mali moralis principium eſſe facile dixeris, inquire-

re coeperunt quid eſſet illud, per quod volumus et intelligimus. Hominibus, licet ad eliciendam veritatem rudibus et inexpertis, non multo labore opus fuit, ut noſcerent eam eſſe naturam humanorum corporum, ut non iis, ſed nobiliori ſubſtantiae, quae nihil commune cum iiſdem haberet, illa facultas conveniret. Mirae conjunctionis animae et corporis, quibus, licet natura diſſimilibus, formamur, nulla certe alia reddi potuit ratio, niſi mentem extare infinita poteſtate praeditam atque aeternam, cui id, quod ſumus, referre acceptum, et quam pie et grate colere debeamus. Ex his naturalis theologiae, metaphyſicae, ſed praeſertim legum moralium fontes et capita videre licet, quarum ea eſt indoles, ut omnes, qui ratione uti voluere, quocumque in ſtatu fuerint, easdem aſſequi potuerint. Natura de animis hoc merita melius, quod corporum adjumenta adhibentur extrinſecus, animorum ſalus et felicitas incluſa in iisdem eſt: nam dum ſe ſe ipſos excutiant, facile intelligent quibus officiis uti, quibusque legibus parere debeant ad beate honeſteque vivendum. Sed quamvis inſita et quaſi conſignata in animis noſtris ſint ethices

Digitized by Google

praecepta, incurrit tamen haec ſcientia in maximas difficultates, cum argumenta, ut loquimur, demonſtrativa, quidque cuique conſequens ſit inquirit: nam cum verba ſemper eamdem rem exprimant, nec niſi verborum ſignis declarari valeant morales ideae, quae diverſae eſſe poſſunt non ſolum in diverſis, ſed etiam in iisdem hominibus, quae interdum ita compoſitae ſunt, vix ut diſtingui oratione et explicari poſſint, magnum ſane munus is ſuſcipit, qui ethicen ad artem et ſcientiam revocare contendit. Facile eſt docere obediendum Dei legibus, nemini damnum inferendum, illatum reſarciendum, deinde, quod alterum juſtitiae fundamentum eſt, communi utilitati ſerviendum, fidem praeſtandam, hancque qui violat, oppugnare omnium commune praeſidium, juſſa imperantium ſervanda, quae contraria non ſint Dei voluntati, iisque naturae juribus, quae variari non poſſunt, ceteraque hujuſmodi, in quibus juſtum atque honeſtum continetur. Sed cum redigere in ordinem haec praecepta voluerimus, atque oſtendere, quae prima ſint, quae aliis occaſionem dederint, quid ex his ipſis conſequatur, quomodo ad omnes vitae caſus atque actiones ſint accommodanda, qui gradus, ſeries, conjunctiones ac differentiae ſint ſingulorum,

quomodo componantur, compoſitaque ſuas in partes diſtribuantur, quae ſint hominis natura ac jura, in quo humana felicitas ac virtus omnis conſiſtat, fortaſſe magnitudine negotii obruemur. Antiquiſſimum tamen genus poetarum ſatis oſtendit nullo non tempore excultam moralem philoſophiam fuiſſe, quamvis Socrates primus illius auctor atque inventor, eamque devocaviſſe e caelo, et in urbibus collocaviſſe dicatur. Omnis quidem ejus oratio in virtute laudanda, et in hominibus omnibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumebatur, et de Providentia ea docuit, ut nihil ſapientius atque magnificentius dici potuerit. Quod ejus ſermones ſua in ſcripta retulerit Plato, non linguae ſolum, ſed etiam animi ac virtutis magiſter appellatur. Hujus diſcipulus Ariſtoteles quae a praeceptore accepit et quae per ſe didicit, civis tamen magis, quam hominis officia, et praeſentis magis, quam futurae vitae bonum inquirens ad certa capita redegit, quidque ſit in unoquoque primum, quid proximum, quid poſtremum ratione atque ordine explicavit. Bene et Epicurus de morali meritus eſſet, ſi quae de felicitate docuit, aut emendaſſet, aut, quod reor, melius ſenſa ſua decla-

taſſet. Verbo enim voluptatis ſi laetitia ac tranquillitas in animo, non delicatae et libidinoſae motiones in corpore, quae nullum cum virtute commercium habere poſſunt, ſubjiciantur, non erit quod de Epicuro, tanquam morum corruptore, clametur. Ejus aequalis Zeno, licet non vocabulis modo, ſed etiam rebus veteris Academiae diſciplinam commutaverit, cum tamen inventor et princeps Stoicorum fuerit, magnam ei tribuunt laudem moralis philoſophiae cultores. Profecto quis veterum philoſophorum, magis quam Stoici, vim virtutis tenuit? Eorum ſententiae et praecepta erant ejuſmodi; congruenter naturae convenienterque vivendum, homines hominum cauſſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſint, nullum beneficentiae ceterarumque virtutum praemium expetendum, cum in ipſa conſcientia magnus fructus recte factorum ſit, actionem bonam aliam conſequi ſtatim debere, virtutem adeo amandam, ut prae ea nihili ſint habenda pericula, vincula, exilia et mors ipſa, ſapientem nulli ſervire, mundum hunc omnem templum eſſe Dei et regnum, in quo ipſe principatum tenet, et in quo nos etiam partem habemus ea conditione, ut omnes

actiones noſtrae ad commune bonum dirigantur. Mitto cetera ſane egregia in eo praeſertim, quod pertinet ad libertatem hominis, quanquam in eorum dogmatibus ſint prava quaedam, quae homo Chriſtianus nullo modo probare poteſt, et de quibus veteres ipſi philoſophi inter ſe digladiabantur. Cum profeminatae eſſent quaſi familiae philoſophorum diſſidentes. Auguſti aevo Alexandrinus quidam nomine Potamon illam philoſophandi rationem invexit, quam eclecticam *appellavit, quia in libera quadam electione alienorum dogmatum tota occupabatur. Cicero ipſe hujus exemplum dediſſe videtur, cum in miro de Officiis opere modo Peripatetici, modo Academici, Stoici modo partes agat. Neque aliter ſe ſe geſſere Seneca et Plutarchus, quorum eadem aetas ac ferme fortuna fuit, quorumque ſententiae de rebus gravioribus atque certioribus ſaepe conſentiunt, quamvis Latinus philoſophus Stoicorum ſtudioſus adſtipulator videri cupiat. Sed Plutarchus magis ſibi conſtat, fluctuat interdum Seneca, hic arma ſuppeditat virtuti, ut vitioſos motus perturbationesque debellet, lenior ille eminet earum rerum commemoratione, quae magis ad defendendam tegendamque virtutem,*

quam ad vitia oppugnanda valent, Graecus, quamvis ejus natio diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem erudita eſſet, undequaque libertatem prodit, contra Hiſpanus tyrannidi interdum favere videtur, hic orationem quaſi calamiſtris inurit, ille in ipſa concinnitate et venuſtate ſententiarum gravis commovet magis animos, quam aures capit, et cum totus in eo ſit, ut commonſtret recti viam, et ut fieri ſolet, digitum ad fontes intendat, haec res magis amorem conciliat, quam ille violentus impetus, quo utitur Seneca ad vitia percellenda. Qui his proximus fuit Epictetus, ſimplex eſt, et quidquid inde haurias, purum te haurire ſenties; ſed in illo nihil eſt magnum et ſublime, quod inflammet animos ad virtutis amorem. Ut rapimur legentes ſcripta Marci Antonini, ut ejus admiramur ingenium, dum aut exponit, aut emendat, aut nova luce illuſtrat aliorum praecepta, vel illa, quae ex ſe ipſo genuit, ſimplici oratione veſtit atque ornat! Platonici, qui tertio et quarto aerae Chriſtianae ſaeculo floruere, ut Plotinus, Amelius, Porphyrius, Jamblicus et Proculus, conjectores potius ſomniorum, quam explicatores cultoreſque moralis diſciplinae, quam a ſectae conditore acceperunt, eſſe voluiſſe vi-

dentur . Neque haec ipſa diſciplina admodum crevit Sanctorum Eccleſiae Patrum opera , qui quidem ſubtiliter atque copioſe de rebus divinis diſputarunt, ſed parum feliciter de naturalis philoſophiae principiis . Ex multorum ſaeculorum caligine et tenebris, in quibus omnia praeclara ſtudia miſere jacuerunt, ipſa quoque lucem aliquam reſpicere coepit, cum Arabes Scholaſticam philoſophiam inſtituerunt . Quanquam iis Deus eſſet Ariſtoteles, quo ſane nemo doctior, nemo acutior , nemo in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior extitit, tamen ita praepoſtere, ita confuſe, ita inquinate moralia praecepta ex omnibus collecta libris expoſuerunt, ut pene obſoleverint omnia , quae ab iis tradita fuerunt . Ut ſcientiarum omnium , ſic et ethices tractandae vias vir judicio ſummus Baco a Verulamio tradidit . Hujus vocibus commonefactus homo Batavus Hugo Grotius omnium primus auſus eſt magnum extruere aedificium , cujus philoſophus Anglus formam adumbraverat, et unus ex omnibus ad id maxime natus aptusque videbatur et erat . Eminebat in eo veritatis amor et ars vera ac falſa judicandi, atque differendi, omnes fere vincebat ſtudio atque eruditione , acerrimo

ingenio erat in rebus inveniendis, et judicio prudentiſſimo ac certo in optimis eligendis, adeo oblectabatur induſtria et meditatione, ut nullis adverſae fortunae caſibus ab iis tanquam a ſuaviſſimo pastu poſſet avelli, talis denique erat, ut nemo illi ſuperior ingenii et artis divitiis poneretur. His facultatibus jus illud, quod naturae et gentium dicitur, univerſe, ac certo ordine expoſuit, quod fieri humani generis maxime intererat. Paullo antequam Grotius e vita decederet, in lucem hominum prodiit Thomas Hobbeſius, cui ſi philoſophari libuiſſet ſine praejudicatis opinionibus, neque illius aetas in turbulentiſſimam Britanniae tempestatem incidiſſet, plurimum per eum morum ſcientia aucta fuiſſet. Sed aut novitatis studio, aut aſſentandi cupiditati nimium indulgens monstra errorum peperit, et hominibus atque virtutibus hostis fuiſſe judicatur, cum docuiſſet ſuae quemque utilitati ſervire debere; ex hac hominum ſocietatem profluxiſſe, inter homines omnes a natura eſſe bellum, et ab imperantium voluntate atque arbitrio religionem, omneque id, quod justum aut injuſtum dicimus, dimanare atque pendere. Exoremus ut ſileant ejus Sectatores, quorum nonnulli cum

invaſiſſent in illa, quae ſatis ſcite inſtructa et compoſita videntur, magnas ſane ediderunt ruinas. Grotii veſtigia ſecutus Samuel Puffendorfius plurimum elaboravit in declarandis tum juribus naturalibus hominum, tum origine ac fundamentis ſocietatis atque officiis, quae inde profluunt, ejusque opus de jure naturae et gentium, *copia electioneque rerum, harum ordine atque diſpoſitione à Lockio et Clerico (qui quantique judices!) omnium utiliſſimum exiſtimatur. Longum eſſet numerare omnes, qui ſapienter interpretando naturae voces moralem philoſophiam provexere. Atque haec cum late pateat, domineturque vel in ipſa juris prudentia, variae et diverſae et in omnem partem diffuſae de illa ſolent eſſe diſputationes, ut non una, ſed multiplex ſcientia eſſe videatur. Fere ea, quae ab Italis noſtris his de rebus omnibus ſcripta ſunt, ab exteris aut contemnuntur, aut ignorantur. Verum ſi quis hunc ſtatuet eſſe philoſophum, qui ſcite perſequitur morum ortum atque progreſſum, qui quod homini cum humano genere quaſi civile jus intercedat, quid ad vitae felicitatem conducat, ſubtiliter, preſſe et enucleate diſſerit, magna tribuat et concedat na-*

ceſſe erit Jacobo Stellinio (non enim mihi nunc animus eſt ceteros commemorare) qui in his rebus cognoſcendis atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuit. Quoniam vero te cupere mihi ſignificaſti, ut exponerem quibus gradibus ad tantam ſapientiam pervenit, libenter parebo voluntati tuae; neque mirabitur quiſquam me de ethica, ejusque vitibus tecum diſſeruiſſe, quod quamvis phyſicam ſcriptis tuis ſane immortalibus illuſtrandam ſuſceperis, is tamen es philoſophus, qui rerum divinarum atque humanarum naturam cauſſasque noscis, et omnem bene vivendi rationem tenes atque ſtudioſiſſime exequeris. Quod ego pluribus verbis declararem, niſi omnibus perſpecta eſſet virtus tua, tuaque ſingularis humanitas, quibus omnes ad te diligendum atque colendum cogis. Ego vero quoniam tantum tibi debeo quantum perſolvere difficile eſt, efficiam profecto, ut ſi non dignus amicitiae tuae, beneficiorum ſaltem tuorum gratus ac memor cognoſcar. Vale.

Piſis Id. Nov. MDCCLXXXV.

quae ſi minutorum opuſculorum fabricatoribus minus arriſit, in admirationem certe traxit verae ſolidaeque ſapientiae amatores cognitoresque. In ea oratione primo quidem eos oppugnat, qui naturalia, quae dicuntur, omnia praecepta ſubvertunt, quaſi nihil natura ſanctum eſſet, nihil honeſtum, nullaque regula oſtenderetur, ad quam homines vitam moresque ſuos conformare poſſent. Argumentis autem ipſorum confutatis, oſtendit ipſe leges quasdam eſſe debere nulli mutationi obnoxias, et ab ipſa natura praeſcriptas, quibus conſtringantur homines atque regantur. Principia et fundamenta honeſtatis in altera parte orationis indagaturus haec ait: *cum mundi fabrica, ſiderumque pulchritudo et concentus ex diſſimilibus motibus ultro incurrat in oculos, ac rerum tantarum magnificentia ex omni tempore ſolertiſſimos homines excitarit ad eas cauſſas inveſtigandas, ex quibus in ſumma varietate compoſitio tum admirabilis, et conſtans ordo duceretur; ex legibus iis, quibus univerſum hoc aſpectabile regitur, compertiſſimis, eas item intelligi leges ac derivari praecipue poſſe apteque cenſeo, quas et mun-*

mundus rationalis eſſe fateatur ſibi praeſcriptas, ac detrectare ducat nefarium, ſi de naturae opifice atque gubernatore Deo pro dignitate ſentiat, quidque aeternam ac ſummam rationem illam, cujus eſt ipſe particeps, unum deceat, animadverterit. Iis autem in legibus enucleandis et perſpicax prae ſe fert ingenium, et acre judicium, et philoſophiae ſcientiam omnino ſingularem; tum, quod difficillimum his in rebus fortaſſe fuerat, cum nova loqui videatur, nihil affert a veritate abhorrens, et a doctorum hominum intelligentia disjunctum. Secutus eſt eam orationem libellus *de ortu et progreſſu morum*, ex quo facile intelligas, quanta huic viro humani animi, rerumque ad animum ipſum pertinentium cognitio fuerit. Capite autem primo explicat, *quo ordine facultates hominum evolutae ſint, ex iiſque cognatae cupiditates effuſae*. Sentit enim rerum humanarum converſiones illi praeſertim animi facultati adſcribendas eſſe, quae cum eſſet expedita, quam maxime rerum potita eſt. *A rudi victu*, inquit, *ac duro, quo robur alitur, ad eam vitae rationem gentes adductae ſunt, in qua ferocitas*

quae ſi minutorum opuſculorum fabricatoribus minus arriſit, in admirationem certe traxit verae ſolidaeque ſapientiae amatores cognitoresque. In ea oratione primo quidem eos oppugnat, qui naturalia, quae dicuntur, omnia praecepta ſubvertunt, quaſi nihil natura ſanctum eſſet, nihil honeſtum, nullaque regula oſtenderetur, ad quam homines vitam moresque ſuos conformare poſſent. Argumentis autem ipſorum confutatis, oſtendit ipſe leges quasdam eſſe debere nulli mutationi obnoxias, et ab ipſa natura praeſcriptas, quibus conſtringantur homines atque regantur. Principia et fundamenta honeſtatis in altera parte orationis indagaturus haec ait: *cum mundi fabrica, ſiderumque pulchritudo et concentus ex diſſimilibus motibus ultro incurrat in oculos, ac rerum tantarum magnificentia ex omni tempore ſolertiſſimos homines excitarit ad eas cauſſas inveſtigandas, ex quibus in ſumma varietate compoſitio tam admirabilis, et conſtans ordo duceretur; ex legibus iis, quibus univerſum hoc aſpectabile regitur, compertiſſimis, eas item intelligi leges ac derivari praecipue poſſe apteque cenſeo, quas et mun-*

mundus rationalis eſſe fateatur ſibi praeſcriptas, ac detrectare ducat nefarium, ſi de naturae opifice atque gubernatore Deo pro dignitate ſentiat, quidque aeternam ac ſummam rationem illam, cujus eſt ipſe particeps, unum deceat, animadverterit. Iis autem in legibus enucleandis et perſpicax prae ſe fert ingenium, et acre judicium, et philoſophiae ſcientiam omnino ſingularem; tum, quod difficillimum his in rebus fortaſſe fuerat, cum nova loqui videatur, nihil affert a veritate abhorrens, et a doctorum hominum intelligentia disjunctum. Secutus eſt eam orationem libellus *de ortu et progreſſu morum*, ex quo facile intelligas, quanta huic viro humani animi, rerumque ad animum ipſum pertinentium cognitio fuerit. Capite autem primo explicat, *quo ordine facultates hominum evolutae ſint, ex iiſque cognatae cupiditates effuſae.* Sentit enim rerum humanarum converſiones illi praeſertim animi facultati adſcribendas eſſe, quae cum eſſet expedita, quam maxime rerum potita eſt. *A rudi victu*, inquit, *ac duro, quo robur alitur, ad eam vitae rationem gentes adductae ſunt, in qua ferocitas*

et verſutia confligunt inter ſe , resque vi peraguntur , et inſidiis impotenti furore communitis . A ferino ſtatu hoc rerum , quo dominatus occupari ſolent , ad eum porro devehuntur, qui fortitudine nititur et prudentia , rebusque partis tuendis , ac turbolentis ordinandis accommodatus eſt . Hanc deinceps excipit optima civitatis conſtitutio ea , quae juſtitia regitur , ac devincta continetur legibus; et cum otio abundet , atque opportunitates maximas habeat ad opes augendas, excolendasque artes , eapropter ad omnes vitae commoditates atque jucunditates percipiendas in primis idonea eſt . Otio vero confirmato, fortunis auctis, ac deliciis multiplicatis , cupiditas exaggerata laxare legum fraena nititur , ac juſti , et aequi munimenta omnia concutit adeo , propellitque , ut aeſtuantem cupiditatem ea continere minime poſſint . His uberius explicatis, late perſequitur , quomodo a diverſis hominum ingeniis diverſa vitia et virtutum ſpecies exiſtant . Eos autem vitioſos mores fuiſſe rationi contrarios , et eamdem oppreſſam tenuiſſe docet, cum non omnibus tamen illi probarentur . Legumlatores quidem intacta quamplurima , quae minime probabant , reliquiſſe dicit, quod aut removere

non poſſent, aut alia ſimili de cauſſa permittenda, ſive toleranda judicarent. Itaque principia morum neque a cupiditatibus inter ſe decertantibus, neque a conſuetudine, quae mutatur in dies, neque a legibus etiam ſapientiſſimorum hominum, quae temporibus et inſitae populorum infirmitati aptantur, neque a temeritate caſuum incertorum, ut videlicet tempori ſerviatur, et iis, quibuscum agitur vita, repeti poſſe demonſtrat. Ad extremum multo minus ex eo, quod opportunum vel intempeſtivum ſit, totius elici dicit fontem honeſtatis. Ex iis efficit quidpiam nulli mutationi obnoxium, et omnino ſimplex eſſe oportere, cujus ad ſimilitudinem mens conſilia et mores dirigat. *Quapropter*, inquit, *etſi res, quae materia conſtant, omnes fluxae ſint, et homo ipſe, qua parte corpus eſt, mutationi tempore omni ſubjaceat, ... ratio tamen, qua differt a rebus aliis, conſtans eſt, ac vitae leges, quae manant ex ea, perpetuae ſunt, et unius modi ſemper, ac ſui ſimiles*. Capite hujus libelli altero totus eſt in inquirendo, *qua ratione et via de rebus ad vitam pertinentibus*

opiniones exortae ſint . Explicat autem quomodo judicia de rebus ,quae feruntur, ex affectione animi cujusque profluant , et affectionibus roborentur, conſpirantibus aliorum , quos inter eſt quisque ſitus . Caput autem errorum eſſe dicit , quod plerique conſenſione quadam incredibili partem ſui potiorem eam eſſe putant , quae ſenſuum eſt inſtrumentum , ut pote cujus evolutio prior et uſus in vita frequentior eſt , et hinc ea vehementius omnes afficimur : at contra pars ea, quae intelligentiae et rationis particeps eſt, cum variis iis imaginibus prope confunditur, quas olim fluere a corporibus Epicurus exiſtimavit. Hinc fieri docet , ut homines expetendum ſibi conſtituant, ut, objecto impedimento nullo, voluptati obſequi poſſint. Hinc fieri, ut ſenſuum appetatur integritas , et affluens copia rerum , quae ſenſibus optime inſerviant , et poteſtas perfruendi rebus ipſis arbitrio cujusque ſuo . Explicat etiam quomodo vehemens in nobis enaſcatur libertatis amor, qui aliis poſtea voluptatibus ipſisque divitiis antefertur; tum quomodo amori libertatis appetitio do-

minatus conjuncta ſit, et quomodo hinc vires corporis in pretio haberi coeperint, at multo magis prudentia, ſive in agendo calliditas, ex quibus omnibus deſiderium extiterit multos habendi aſſeclas, atque hinc deſiderium laudis, honoris ac dignitatis. Ex iis rebus quaenam aliae enaſcantur aperit, et cur et quomodo antiqua et remota pluris, quam noſtra, fiant oſtendit; ex quo pretium nobilitatis docet exiſtere. Eodem capite qua ratione nobilitas, ut pluris fiat, illuſtrari divitiis, aut eloquentia, aut virtute et conſilio debeat, ipſe aperit; et cur plus in animis multitudinis eloquentia, quam germana ſapientia poſſit. Vulgus tamen hominum admiratione ſapientiae percelli dicit eadem ratione, qua res difficiles atque reconditas mirari conſuevimus, etſi praemiis eamdem haud ſoleat afficere. Philoſophos quidem ridet, qui, ut admirabiliores apparerent, vanas opiniones excogitarunt, et cum ea de cauſſa vulgo ſpernerentur, ipſa immortalitatis ſpe jacturam nominis compenſabant. Deſcriptio in extremo eſt ſatis elegans cupiditatum, quibus homines pro diverſis ingeniis

ac vitae rationibus afficiuntur. Caput tertium explicat, qua ratione tradita, et quibus ex fontibus hauſta ſint praecepta de vita et moribus. Oſtendit initio ea praecepta primum fuiſſe rudia, deinde concinniora et robuſtiora, denique variis modis a nimia ingeniorum ſubtilitate corrupta. Probat autem primum praecepta proponendi modum per exempla fuiſſe; alterum ab animalium ſimilitudine fuiſſe ductum; denique ex animantibus ad alias naturae partes progreſſionem fuiſſe factam, ac leges obvias, quibus hae reguntur, ad cohibendas hominum cupiditates fuiſſe translatas. Originem quoque illarum praecipiendi rationum, quae paroemiae dicuntur, ac translationes a ſpecie ad ſpeciem vocari ſolent, quae in aenigmata evaſerint multitudini propter obſcuritatem incommoda, ob oculos ponit, nec non originem apologorum; quae duo poetarum ipſis documentis anteponit; et originem ſimul atque utilitatem allegoriarum, quae nimis etiam obſcurae progreſſu temporis factae fuerint, cum vulgus in ipſo verborum cortice haereret, neque ad rem ipſam, quae ſignifi-

cabatur, usque procederet. Hinc levitate et inſcitia multitudinis audaciores facti nonnulli, qui ſapientiae laudem affectarent, ut ipſe ſcribit, quidquid erat in vulgus proferendum conveſtitum id exhibebant imagine aliqua ſenſibus objicienda. Philoſophis vero utiliſſima fuere, et opportuniſſima integumenta haec ad ea omnia ornanda, quae ſibi de rerum univerſa natura finxerant. Opportunus hic eſt exponendi locus opiniones philoſophorum de natura rerum, ac de ipſa Divinitate. Itaque ubi de converſionibus aliarum rerum in alias ope, ut plerique ſentiebant, Divinitatis effectis, ac de Pythagorae metempſychoſi locutus eſt, hinc poetarum metamorphoſes ſumptas fuiſſe ſcribit, quae tamen cum eſſent temere confictae, ne apud ipſam quidem multitudinem mereri fidem aliquam potuerunt. Unde ortum habuerint brevia et acuta dicta ſapientum Auctor inquirit, ac dictorum eorumdem quanta ſit utilitas ob oculos ponit. Socratem philoſophiae, quam Cicero moralem dixit, quaſi parentem mirificis laudibus effert ad caelum, et illud Themiſtii probat de ipſo graviſſime pronuntiatum: *philoſophiam*

ſparſim habitantem ab eo contractam in unum fuiſſe, quemadmodum Athenas a Theſeo. Hoc loco Sophiſtarum vanitatem a Socrate reprehenſam fuſe perſequitur, et eorumdem inſcitiam graphicis coloribus pingit: Ariſtophanem qoque confutat, qui Socratem accuſavit, quaſi ea revocaret in dubium, quae certiſſima ſunt, ac vera eſſe permagni noſtra refert. Philoſophorum, qui poſt Socratem extitere, ſectas egregie deſcribit, Cynicam videlicet, Cyrenaicam, Epicuream, Peripateticam, Platonicam, Stoicam, Scepticam, Acatalepticam, a quibus ethicen fuiſſe corruptam, ac deformatam potius, quam auctam, vel illuſtratam arbitratur. Scribendi rationem a Platone adhibitam exhibet, quem ſimul facultates duas conjunxiſſe dicit, quae videntur oppoſitae; res nimirum a ſenſibus remotas probe percipiendi, et easdem per ornamenta eloquentiae ſenſibus quodammodo ſubjiciendi: ex quo tamen factum putat, ut cum poetarum omnes undique floſculos idem Plato collegerit, et numerorum myſteria, doctrinamque idearum ab Epicharmo adumbratam penitus introſpexerit, in unum hae omnia coegerit ſe ſe invicem im-

pedientia; unde lectori obſcuritas, et mox opiniones omnino vanae ſuboriantur. Ariſtotelem, quod philoſophiam ex involucris aenigmatum exſculpſerit, ac nudis verbis uſus ratiocinationes legibus definitis, et undique enucleatis adſtrinxerit, ipſi Platoni praeſert. Quod pertinet ad rem noſtram, Ariſtotelis praecepta de moribus Platonis ejusdem ſomniis anteponit, quod illi *viſum eſt opportunius unumquemque putari non mundi univerſi, ſed unius tantum reipublicae civem, atque ad hunc morum doctrinam accommodari*. Sed mediocritas illa, in qua civilis virtus poſita eſt, quam varie a variis Philoſophorum ſectis declarata fuerit, fuſiore ſermone perſequitur, et ad extremum ita ſcribit. *Quae cum omnia fluxerint ex opinionibus iis de natura rerum, ad quas erant forte delati, vel affectione animi cuique propria, vel analogia incerta quapiam et obſcura, factum eſt ut rationem diſtorſerint, aut infuſcarint illi in primis, qui rationi perficiendae operam navaſſe maximam videbantur*. Hactenus libellum *de ortu et progreſſu morum* enucleavimus. Hunc excipit *Praelectio* habita Kal. Dec. an. MDCCLXI.

Digitized by Google

in qua ut probet ab anguſtiis humanae mentis et ingenii tenuitate ortum rudia illa et inculta ſumpſiſſe, quae de vita regenda philoſophi propoſuerunt, rem ab initio repetere inſtituit, ejusque gradus ex ipſo progreſſu mentis humanae ductos accurata oratione perſequi. Sed illa plerisque non plane arrident, quae in eodem ſermone Stellinius docet: *ut ex iis*, inquit, *quae non aliunde ſibi quam ex rerum viciſſitudine temporumque varietatibus accidere perincommode ſentiebant, impendere ſibi vim divinam quamdam humana omni potentiorem homines conjectarunt, eamque ſibi placandam obſervantia cultuque aliquo ſtatuerunt; ſic ea quae gravia, moleſta, perturbata contingebant homini ex homine, commonuerunt aliquid eſſe debere, quod homo homini debeat*. Gravius fortaſſe ac verius cum Plutarcho melioris notae metaphyſici ſtatuere ſolent, caeleſtium rerum atque terreſtrium contemplationem in rudibus etiam animis hominum aut injeciſſe primo ſuſpicionem, aut latentem expliuiciſſe notionem Divinitatis. Nonnulli etiam queri videntur, cognitionem eam, qua nihil ad veritatem illuſtrius, nihil ad vitam regendam utilius ho-

minibus a natura datum, non ſatis firmis a Stellinio ſuffultam fundamentis exhiberi, dum illa ſcribit: *Conjecturam eam ultro ſubortam moderatores ſocietatis excoluerunt et confirmarunt eventorum iteratione ſubinde renovatam, et rebus praeſertim improſperis alte defixam in animis. Rerum enim, quae ad voluntatem fluunt, non admodum anxie cauſam inquirunt homines occupati perceptione grata bonorum, in eaque ſubſiſtentes; quae vero adverſe accidunt, ingrato ſenſu commovent animos, et mali ſeu declinandi, ſeu repellendi cura de mali cauſa cogitationem injicit*. Iis conſentanea ſunt illa, quae poſtea ſcribit; ab adminiſtrandae ſocietati Praepoſitis ritus ac cerimonias inſtitutas fuiſſe, ac legibus communitas, ut abditae illius potentiae cultus in animis hominum altius insereretur, ac praecipue rudiores in officio continerentur. Eumdem ſi audias, cum non poſſent homines ea cognoſcere, quae *moralia attributa* divinae naturae dicuntur, ad eam ſibi conciliandam ea ſufficere judicabant, quibus nos capi ſolemus; cum tamen haud ullam animi ad honeſtatem ipſam conformandi curam eſſe ſibi ſuſcipiendam arbi-

trarentur . Ipſum enim Deum in ea dumtaxat crimina putabant animadvertere, quae ſocietatem evertunt, vim, rapinas, caedes, dolos atque alia ſimilia . Neque vero, ut idem auctor eſt, gratiae apud eam naturam alium expetebant fructum, quam hujus vitae bona . Illa etiam Stellinii plerisque diſplicent, quae de Providentia Dei res humanas adminiſtrantis differit . *Atque cum ſubinde fieret*, inquit, *ut ſimul et peragerentur ea, quibus excellentior obſcure proviſa potentia coli ſolebat, et evenirent ea proſpere, quae ſuſcipiebantur aut optabantur, ideae rerum ſecundarum et curae, conſilii, providentiae permeantis univerſum, et res humanas adminiſtrantis inter ſe colligari adeo coeptae ſunt, ut alterum alterius efficiens exiſtimatum ſit . Mens enim ad ea, quae comitari ſe mutuo ſaepe videt, inter ſe nectenda proclivis eſt, et alterum ex altero pendere putat . Neque ſolum id accidit, ubi reconditae res et penitus abſtruſae ſunt, verum etiam ubi nullo negotio pervideri poſſet, efficientiam alterius ab alterius efficientia plane disjunctam eſſe, neque habere in-*

ter ſe commune quidpiam. Temporis autem progreſſu, homines, cum exculti magis, et evoluta ſenſim honeſti forma fuiſſet, denique cogitaſſe, *naturam mentis ac rationis compotem omnino decere, non ſolum aeque cum aliis agere, ſed et ipſam per ſe compoſitam eſſe, moderatam, aequabilem*. Hinc in pretio haberi coepit verecundia, temperantia, conſtantia, lenitas, ſimilesque virtutes. Cumque iidem homines rerum ipſam univerſitatem magis perfecte cognoſcerent, *de natura*, inquit, *praeſtantiſſima, quam impendere ſibi conjectura cogitabant ancipiti, cogitare diſtinctius, et ſentire dignius exorſi ſunt:* cumque non omnes homines in hac vita vel bene, vel male factorum praemia recipiant, aut poenas, de altera vita, atque hinc de animorum immortalitate cogitationem ſuſcepere, quam Legumlatores, ut libenter unusquisque patriae ſerviret, pro viribus excolendam arbitrati ſunt. Utiliora atque veriora eſſe arbitror, quae de philoſophorum doctrina Stellinius habet, quos videlicet hominum vitae regendae peritorum inventa conturbaſſe putat. Duas autem in claſſes ipſos tribuit; alteram ſcili-

Digitized by Google

cet eorum, qui ſolam materiam eſſe rerum initium exiſtimabant; et alteram eorum, qui materiae mentem adjungebant. Illos evertiſſe funditus ipſam ethicen, ab his autem paullo utiliora expectari potuiſſe monet. Id autem ex eo probat, quod ipſe Anaxagoras, qui plus aliquid purae menti, quam reliqui omnes, tribuerat, ne ad naturales quidem effectus explicandos eamdem induxerit, de quo graviter ab Ariſtotele, nec non a Platone ſive a Socrate in Phaedone reprehenditur: quare multo minus credibile eſt eamdem ad eruenda principia induxiſſe, quae ad affectionum animi temperationem pertinent. Sed et aliud honeſtatis fundamentum, quod ab animorum immortalitate ſumitur, pene everſum a philoſophis idem Stellinius putat, haud alia ſcilicet ratione docentibus animos eſſe immortales, niſi quatenus divinae ſunt naturae partes, in quam, extinctis corporibus, revolvuntur. *Praelectionem* totam egregia Socratis laus concludit, qui ſe penitus ad res humanas contulit, ac primus inter philoſophos de moribus unice ſibi quaerendum eſſe ſtatuit; ſive, ut Ciceronis ver-

bis utar, primus philoſophiam devocavit e caelo, et in urbibus collocavit. Eam vero *Praelectionem* alia excepit pridie Non. Novemb. an. MDCCLXIII. habita, in qua cum pleraque ſint obſcuriora, mirandum propterea non eſt, ſi variae de ipſa extitere doctorum hominum diſcrepantesque ſententiae. Hac in *Praelectione* rectum uſum ſibi conſtabiliendum ſuſcipit humanarum facultatum. *Cum*, inquit, *ex facultatum omnium inter ſe concentu rectam affectionum humani animi conſtitutionem exiſtere neceſſe ſit, ex quo ſui cujusque ſenſus effloreſcit aequabiliterque viget, non modo jucundus, ſed etiam cumulatus, eaque complectens omnia, quibus ipſa natura facultates idoneas indidit inchoatas aut abſolutas, ideo ſingularum limites ex eo ſtatuendos eſſe planum eſt, quod afferre ipſae poſſunt ad augendum, explendumque ſenſum eum, in quo felicitas eſt animi poſita, quamdiu corpus adjunctum habet, eoque intercedente cum rebus undique circumpoſitis conſociatus eſt*. Explicat deinceps, quomodo non praeſentibus tantum homo affici debeat, ut impoſito muneri ſatisfaciat, ſed etiam e longin-

quo providere ; atque alia ſane permulta. Ex his aliqua ipſius Auctoris verbis afferemus, ne quis aliquid ejusdem ſententiis nos oratione noſtra demere vel addere ſuſpicetur. Etenim de illo ſenſu, in quo ſitam hominis felicitatem arbitratur, ea ſcribit. *Ubi ſui ſenſus ita comparatus eſt, ut conſtare ex multis debeat inter ſe varie compoſitis pro varia facultatum indole, quarum ex multigena functione pendet, quidquid a temperatione conſentanea functionum abſit, ſenſum ex univerſis redundaturum uno tenore progredi, lateque fundi vetat, eique moleſtiae quidpiam admiſcet, aut voluptatis detrahit*. Deinde multa de ſingulis ſenſibus copioſa magis quam perſpicua oratione differit, inter quae illa, quae non leviter faciunt ad Auctoris defenſionem, nobis commemoranda. *Ex facultate*, inquit, *in mente inſita percipiendi temperationem ordinemque affectionum, quae ad vitae cultum et ſocietatis incolumitatem ornatumque pertinent, ſenſus effunditur honeſtatis ac decoris elucentis in conſiliis, et moribus inter ſe convenienter apteque compoſitis; quem ſenſum imbibere penitus, eique congruenter agere ſummum illud eſt, quo*
ipſa

ipſa per ſe vis erecti magnique animi poſſit. Illa etiam notatu digniſſima nobis videntur de ſenſu honeſtatis ab eodem Stellinio dicta. *Ne vi dignitati munerique ſuo conſentanea careat, mentis et rationis, in qua ſitus eſt, eatenus intendendae vires et limites proferendi ſunt, quatenus ei tributa facultatum inferiorum adminiſtratio flagitat, eo pertinens, ut uno conſenſu conſpirent omnes ad extremum illud, quo maxima bonorum adſcriptorum humanae naturae ſumma comprehenſa ſit*. Itaque Stellinius honeſtatem non ut famulam, aut adminiſtram voluptatis cum Epicuro exhibet, verum ei tum in voluptatem, tum in reliquos hominum ſenſus adſcribit imperium, eique munus committit hominem ad felicitatem perducendi, quae ſi virtutis eſt praemium, virtus ipsa profecto eſſe non poteſt. Reliqua hujus *Praelectionis*, in qua obſcurum, ut innuimus, Auctor ſequitur orationis genus, ad ſenſus ipſos explicandos pertinent, ex quibus, ut ait, vitae ſenſus extitit, et quomodo permiſceantur inter ſe, ac non raro turbentur, et alter alterius formam imitetur, aut

ſimulet, quomodo praecipue ſenſum honeſtatis ſenſus alii corrumpant, quomodo variandi, aut intendendi, aut remittendi ſenſus iidem ſint, ita declarat, ut maximam fuiſſe Stellinio in metaphyſicis rebus abſtruſa quaelibet intelligendi vim et acumen, quisquis ea legit, facillime agnoſcat. Quare non eſt mirandum, ſi ſaepe audiverim a viris doctiſſimis tum Anglis, tum Gallis, libellum, quem de rebus ad mores pertinentibus edidit Stellinius, omnium hujusmodi rerum ſcriptorum bibliothecas unum ſuperare. Dabunt vero hanc mihi veniam lectores, quod in iis exponendis paullo ultra, quam conceſſum hiſtorico videatur, ſim immoratus. Id enim feci non tam rei utilitate, quam quod occulta quaedam et quaſi involuta, quae occurrunt in Stellinii ſcriptis, aliqua ratione aperienda eſſe putavi. Verum ipſe ex multorum ſententia non ſolum probabilem, ſed etiam ſapientem hujusce obſcuritatis excuſationem habuit. Quaedam enim ſunt, quae animo magis, quam verbis complecti poſſumus, et quae hauſtus potius quos-

dam ex aeterna mente, quam verborum delectum deſiderant. Ad id, quae abhorrent a communi intelligentia, novum quoddam dicendi genus poſtulare videntur, praeſertim ſi periculum ſit, ne in propatulo poſita tumultus excitent invidorum atque imperitorum, convocata de malis ſcholis in auxilium quaſi libera turba temulentorum. Quoniam more inſtitutoque majorum exigebatur a Stellinio, ut in publica ſchola univerſam ethicam ac praeſertim Ariſtoteliam explicaret, eam ita diviſit, ut ſex annorum ſpatio ejusdem abſolveretur tractatio, undique eruens ea, quae non ſolum inſtruere, ſed etiam delectare poſſent ejus auditores. Cum ſingulis annis argumenta rerum tractandarum in publico proponeret, ex hac forma, quale aedificium futurum eſſet, facile cognoſci poterat; quare multi ab eo poſtulabant, ut diſtincte et ordinate diſponeret, quae tradere ſolebat auditoribus ſuis, et ex iis opus morale omni ex parte perfectum componeret, et quaſi coagmentaret. Quod ipſe vivens multis ſane de cauſſis

Digitized by Google

perficere recuſavit, poſt mortem illius praeſtare ſtuduit ejus collega et diſcipulus Hieronymus Barbadicus, a quo Herculis laborem exantlatum dixeris in aſſequendis ordinandisque iis, quae ſcripto conſignaverat Stellinius veluti quamdam ſilvam atque materiam univerſam, permixtam tamen atque confuſam, diſputationum ſuarum. Ex his ſex libros confecit, qui licet doctrina et eruditione abundent, vereor tamen, ut plane ſatisfaciant iis, qui cupiditatem habent ita noſcendi moralem ſcientiam, ut illis perſpicua ſint, omnique ex parte compoſita, quae traduntur, praecepta. Ceterum quem ſecutus eſt ordinem Stellinius ipſe, quae fundamenta univerſae ſcientiae poſuit, quae his inaedificavit, quomodo cuncta colligavit, quae pro ſe aliquando amico reſpondidit, ex ipſo intelliges, cujus unum (1) atque alterum (2) ſcriptum his de rebus Italicum, editum jam a Barbadico, in extremum commentariolum referemus. Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, profecto exiſtimabimus Barbadicum ſuſcepiſſe curam co-

gitationemque digniſſimam virtutis ſuae, quod collegerit vulgaveritque moralia Stellinii ſcripta *, quodque alios exemplo ſuo excitaverit ad cetera ab eodem relicta edenda, ex quibus judicium facere poſſumus, quam is eſſet diſputator ſubtilis in omni re philoſophica atque theologica, quam doctus in matheſi, quam prudens in medicina, in anatome atque politica, quam denique in omnium fere optimarum artium ſtudiis eruditus atque exercitatus. Quare minime eſt mirandum, ſi, vel dum viveret, fama de illius ſingulari doctrina cultiores omnes nationes peragraverit, ut, quod de Livio memoriae quoque proditum eſt, nonnulli ex remotiſſimis regionibus Stellinium noſcendi et conveniendi cauſſa Patavium venerint. Neque id auditum, sed cognitum praedicamus; eſtque inter ceteros teſtis vir omni ornamento virtutis, ingenii et fortu-

* Haec ſi ſummatim breviterque exponere vellem, fruſtra laborarem. Legi illa poſſunt, quae per nos edita fuerunt de his ipſis ſcriptis in voluminibus XXXVIII. XXXIX. XL. *del Giornale de' Letterati. Piſa. &c.*

Digitized by Google

nae clariſſimus Comes Mercius Caeſaris ad Galliarum Regem Legatus, qui ſaepe mihi narravit hominem ſumma doctrina ac ingenio, ad quem venerat ejus congreſſus requirens, non modo ſuſtinuiſſe, ſed viciſſe etiam mirificam, quam ſui excitaverat, expectationem. Qui vero ad eum ventitabant, queri de illo videbantur, quod licet tot ingenii atque doctrinae divitiis abundaret, refugeret tamen ab edendis ſcriptis ſuis, quaſi clarorum hominum ſcientia librorum magnitudine et copia metienda eſſet. Nullam reliquit litteram Socrates; nihilo tamen minus totius Graeciae judicio habitus eſt omnium facile princeps cum prudentia et acumine et venuſtate et ſubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quamcumque ſe in partem dediſſet. Omnino tanti viri imitator aemulatorque fuiſſe Stellinius mihi videtur, cum quo vultus etiam atque oris, prout veteribus in monumentis exhibentur, haud levem geſſit ſimilitudinem. Illud autem ex eo etiam apparet, quod eſſet dulcis, facetus, feſtivique ſermonis; quod uti ſoleret ea diſſimulatione, quam Graeci ειρωνιαν vocant; quod jucun-

Digitized by Google

dae concertationis ſtudio modo hoc diceret, modo illud; quodque percunctando et interrogando elicere ſolitus eſſet aliorum opiniones, ut iis cum lepore atque humanitate, quae in ejus ore atque oculis apparebat, quidpiam opponeret. Habuit Stellinius, ut Socrates, accuſatores ſuos; adverſus quos, non ſecus ac ille, adhibuit liberam contumaciam a magnitudine animi rectaque conſcientia, non a ſuperbia ductam. Et ipſe quidem ob invidiae obtrectationem nullum fecit apud aequos homines detrimentum exiſtimationis, ſed quoad vixit, virtutum laude crevit. In omnibus rebus ſingulari fuit induſtria ac prudentia; eluxitque ſemper in eo gravitas morum, mens caſta et integra, et non vulgaris modeſtia, ſive hanc eſſe dicas non elatam de ſe opinionem, ſive continentem in animo moderationem cupiditatum, ſive, ut Stoicis placuit, ſcientiam earum rerum, quae agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Minime ſilentio praetereundum eſſe putamus, non defuiſſe Stellinio poeticum ingenium, quod etſi exercitatione non aluit, valuiſſe tamen ipſum ſuis viribus,

Digitized by Google

carmina praeſertim, quae ſcripſit in nuptiis nobiliſſimi viri Paulli Antonii Labiae et Fiordaliſiae Emae, ſatis declarant. Quanquam aptus eſſet ad conjungendas amicitias, et amicos coluerit, habenas tamen amicitiae laxiſſimas habere voluit, quas vel adduceret cum vellet, vel remitteret. Ipſum muſicae perſtudioſum fuiſſe accepimus, idque mirari licet, quod voce abſonus eſſet, quodque recitator ſcripti alicujus varietates ſonorum, intervalla diſtinctioneſque parum noſcere videretur. Etenim ita dicebat, ut una ſemper eſſet ſpiritus ac ſoni intentio. Et id quidem ex eo praeſertim accidebat, quod jam inde a prima adoleſcentia edentulus eſſet, dentiumque inflictu et colliſione voces in verba magna ex parte conformentur. At eo vitio, ut et illo altero, quod licet Latine luculenter ſciret, non vitaret tamen in dicendo obſcuritatem, factum puto, ut ejus ſchola minus, quam par erat, frequentaretur. Cum epiphora menſem aliquem laboraſſet, et jam tantiſper recreatus videretur, repentina morte perculſus deceſſit Patavii VI. Kal. April. an. MDCCLXX. Sepultus eſt in S. Crucis

decorataeque exequiae fuerunt omnium bonorum lacrimis , pompa , laudatione muſicisque modis , quos fecit amicus Stellinii Vallottius , cujus pervulgatum eſt nomen . Ad ejus tumulum hoc elogium appoſitum legitur.

D. O. M.
JACOBO . STELLINO
FOROJVLIEN.
INTEGRITATE . INGENIO
OMNIGENAQVE . DOCTRINA
PRAECLARISS.
ETHICA . PRAESERTIM
QVAM . IN . PATAV. GYMN. TRADIDIT
PATAVIN. SOMASCHENSIVM
SACERD. COLLEGIVM
SODAL. O. M.
M. P.
A. MDCCLXXII.

Non diffiteor me in Stellinii vita exponenda fuiſſe verecundum et parcum . Audivi enim Antonium 'Evangelium in hujusmodi re laborare ; neque dubito , quin homo , qui diu in manibus habuit omnia Stellinii ſcripta ,

qui cum eo et familiaribus illius diu vixit, quique ad elegantiam ſcribendi adjungit doctrinae ſubſidia, tale ſit opus confecturus, quod merito Stellinii ipſius, et ſuo in illum ſtudio ſingulari plane reſpondeat. Non ego is ſum, qui cum tanto viro contendere poſſim: juvit tamen aliquid tentaſſe, quod ſane pertinebat ad hoc noſtrum inſtitutum ſcribendi vitas Italorum doctrina excellentium, cujus operis cum vulgaverim duodecim volumina, et ad quindecim usque, ſi vita ſuppetet, illud perducturus ſim, ſi non laudem, veniam ſaltem datum mihi iri confido, quod pro viribus conatus ſim colligere, et Latii lingua explicare, quae monumenta et litterae prodiderunt de ſapientiſſimis viris, quorum permultos eſſe imitatores atque aemulos maxime conducit ad Italiae gloriam, humanique generis felicitatem.

(1) Egli è manifeſto, che l' unico fine della Morale non è che l'acquiſto dell' umana felicità naturale.

L'acquiſto di queſta felicità dipende dall' uſo retto delle facoltà dell' uomo naturali relativamente agli oggetti loro.

L' uſo retto di queſte facoltà dipende dallo ſtabilimento degli ufizj, che la natura à preſcritti ad eſſe, e de' limiti, dentro a' quali ciaſcheduna dee contenerſi. Stabilire gli ufizj è lo ſteſſo che fiſſare a quali coſe debba determinarſi l' uſo di ciaſcheduna, e ſtabilire i limiti è lo ſteſſo che determinare fino a qual punto l'uſo loro poſſa portarſi.

Dallo ſtabilimento degli ufizj e de' limiti naſce l'equilibrio e l' armonia, che dee mantenerſi tra tutte le facoltà umane, perchè l' uſo dell' una non ſia dall' uſo dell' altra turbato, nè ſoverchiandoſi ſmoderatamente ſi rendano l' una l' altra inutili: ma tutte inſieme s' accordino a fare un tutto ben ordinato ed unito, e contribuiſcano ognuna quella parte, che loro conviene, a' biſogni della vita umana: onde l' uomo ſia capace delle funzioni tutte, per le quali è ſtato fatto, e di tutti i beni, che l' Autore della natura à ad eſſo con atta proporzione accomodati.

Ma come l'uomo non è ſolitario, ma congiunto con altri uomini ad eſſo ſimili, e delle ſteſſe facoltà provveduti, così l' uſo delle ſue facoltà determinar non ſi dee relativamente ad eſſo ſolo, ma anche riguardo agli altri, coi quali la natura à voluto, ch' egli abbia della congiunzione; e queſto pure dee proporzionarſi in modo, che di molti tutti particolari, ognuno in ſe ſteſſo bene ordinato, poſſa formarſi un tutto univerſale perfettamente quanto è poſſibile ſimmetrizzato. Per la qual coſa è ne-

ceſſario, che niuno porti l'uſo delle ſue facoltà fino al ſegno, che potrebbono portarſi, ſe ſi conſideraſſe chi le poſſiède riguardo ſolo a ſe ſteſſo; ma dee temperarlo in modo, che non impediſca l'uſo convenevole anche delle facoltà di coloro, che gli ſono vicini, e gli privi per conſeguenza de' beni, che loro egualmente appartengono.

Quindi l'uſo delle facoltà umane, perchè ſia retto, dee determinarſi e riguardo all'uomo che le poſſiede, e riguardo agli altri, ſovra le facoltà de' quali elle poſſono avere qualche influenza reciproca. Da queſto uſo così fiſſato dipende la perfezione dell'uomo quanto al ben eſſere proprio o relativo alla ſocietà.

L'eſercizio delle facoltà noſtre, convenevole all'uſo retto già ſtabilito, ſono gli atti virtuoſi; e la coſtante determinazione di tenere le facoltà medeſime dentro gli uſizj e limiti rettamente determinati, è la virtù generale, che dee chiamarſi la vera forza dello ſpirito umano.

L'ultima conſeguenza di queſta perfezione è in chi la poſſiede una ſodisfazione pura, ſolida e coſtante, quanto la natura delle coſe umane lo può permettere, ed in tutta la ſocietà l'acquiſto e poſſedimento de' maſſimi beni, di cui la vita umana è capace, quali ſono la tranquillità, la ſicurezza e l'abbondanza di tutte le coſe, che poſſono rendere la vita amabile.

Poſto ciò, tratteremo prima delle facoltà dell'uomo naturali, delle quali ſon tutti a parte in qualche grado, degli uſi, che ſe ne fanno comunemente, e degli effetti, che ne riſultano. In ſecondo luogo dell'uſo retto di ciaſcheduna, conſiderando l'uomo in uno ſtato aſſoluto. In terzo luogo dell'uſo retto di ciaſcheduna, conſiderando l'uomo in uno ſtato relativo agli altri uomini. In quarto luogo ſi applicheranno i principj ſtabiliti alle diverſe

ſituazioni, in cui ſogliono trovarſi gli uomini nel corſo comune della vita. Finalmente in ultimo luogo ſi faranno delle conſiderazioni ſovra il ſiſtema, che ne riſulta dalle leggi ſopraddette, e ſovra la felicità, alla quale un uomo puo aſpirare in queſta vita, dove ſi eſamineranno i ſentimenti de' filoſofi ſovra queſto punto.

Queſto è il piano, che io mi ſono propoſto per non allontanarmi dal ſiſtema d' Ariſtotele, che non à preſo a conſiderare altra felicità che la puramente umana indipendentemente da qualunque relazione alla vita futura, non avendo egli in mira che di formare de' buoni cittadini, ed atti a coſtituire un' ottima repubblica. Quindi viene comunemente accuſato d' eſſere un filoſofo troppo materiale, e pochiſſimo religioſo. Se queſta foſſe un' accuſa legittima, eſſa tanto più dovrebbe valere in un filoſofo Criſtiano, che dalla Fede illuminato dee dirigere tutte le operazioni ſue all' altra vita. Ma credo che per eſſere in queſto propoſito eſenti da ogni giuſta imputazione, baſti che i principj, che ſi ſtabiliſcono per la felicità della vita preſente, non ſieno incompatibili con quella della vita avvenire. Queſto è l' ultimo grado, a cui poſſa arrivare la ragione umana pura, che non voglia far uſo della Rivelazione; eſſendo ciò riſervato intieramente alla Teologia, colla quale Ariſtotele, che io ho l' obbligo di ſpiegare, non à relazione alcuna. Tutto quello, che ſi trova dalla legge divina proibito, ſi troverà qui parimente contrario alla rettitudine, che la ragione preſcrive all' umane facoltà; benchè tutto quello, che l' Evangelio conſiglia di fare per agevolarci la ſtrada alla beatitudine eterna, e levarci di mezzo gli oſtacoli, che ci ſi attraverſino, non ſi trovi qui propoſto; anzi la preſente felicità qualche volta dimandi, che ſi faccia il contrario.

E queſta è la maſſima difficoltà, che ſi poſſa opporre al metodo noſtro.

Ma ſe ſi prende a conſiderare la coſa più d'appreſſo, ſi vedrà prima che le coſe dall' Evangelio conſigliate di fuggire non lo ſono, perchè ſieno in ſe ſteſſe cattive, ma perchè ſervono ſolamente d' intoppo ad un bene maggiore, e per l' abuſo, che l' uomo ne ſuol fare comunemente. Onde l'abbracciarle come parti della noſtra felicità preſente non è fallo d' altra ſpezie, che d' imprudenza e di profunzione. In ſecondo luogo eſaminando il noſtro ſiſtema ſi troverà, che anche in queſta parte ei non è molto lontano dai conſiglj Evangelici; non potendoſi ottenere quell' armonia, che ſi preſcrive nelle facoltà umane e nell' uſo degli oggetti loro, ſenza eſſere obbligati a fare de' ſagrifizj di quelle coſe, che preſe aſſolutamente potrebbono ſenza colpa goderſi. Onde quand' anche non ſi ſegni la ſtrada che della vita preſente, per li medeſimi paſſi può tenderſi alla futura, quando vi ſi aggiungano i lumi e le mozioni neceſſarie.

Al P. Giugarini.

(2) Vi ſono tenuto ſommamente per molti capi, ma principalmente, per la bontà, che avete avuto di penſare favorevolmente di me, d' interpretare benignamente i miei ſentimenti, e di procurare, che la voſtra interpretazione ſia ricevuta da quella perſona, che prendendo forſe occaſione dalla mancanza d' eſpreſſioni o di metodo ha ſoſtituito nel picciolo ſaggio, che avete letto, ciò, che la fecondità della ſua fantaſia, o la eſuberanza della ſua dottrina le à preſentato alla mente. Quella parte, in cui più facilmente poteva darſi luogo a qualche equi-

voco, l'ò letta prima di darla fuori ad un uomo dotto ed in materia di religione ſcrupoloſo piuttoſto, che dilicato; ed avendolo interrogato ſu queſto punto, non o veduto ch'ei vi faceſſe alcuna difficoltà. Di fatto io la fo alla Neutoniana: poſte alcune leggi per eſperienza note, ne deduco le conſeguenze, ſenza nè indagare, nè determinare la ragione delle leggi ſteſſe. La legge nel noſtro caſo è, che la natura umana è dotata di varie facoltà per operare, che queſte facoltà non ſono tutte egualmente facili a metterſi in atto, nè anno tutte la ſteſſa forza. Altre non an biſogno che dell'applicazion dell' oggetto e dell'organizzazione e temperatura del corpo per eſſere nella maſſima diſpoſizione a fare le funzioni loro; altre non anno la conſiſtenza, ed attivita neceſſaria, che dopo una lunga coltura ed un eſercizio laborioſo. I ſenſi e le paſſioni varie di vigore ſecondo la varietà delle coſtituzioni corporali non an biſogno, che d'occaſione per eſercitare tutta la loro forza. L'intelletto e la volontà non an molto di robuſtezza, ſe non ſono con diligenza coltivate. Queſto è di fatto, e già ſpiegato a lungo da me nella ſtoria, che ò fatta delle facoltà umane e della loro forza diverſa, per potere a ciaſcuna determinare i limiti convenevoli, da' quali naſcono le virtù. Donde poi ſia nata la diverſità della forza e dell' agevolezza o difficoltà, che s'incontra nell'eſercizio di queſte facoltà, non tocca a me nè cercare, nè ſtabilire. Epicuro lo attribuiva alla natura dell'uomo, che non può eſſere diverſa da quello che è. Platone alla malignità della materia, che impediſce la mente. Noi Cattolici dalla Fede illuminati dal peccato originale lo riconoſciamo. Quanto alla parola di ſviluppo laſcio la libertà di cangiarla a chi vuole, mentre non mi ſono ſervito di

eſſa che come di un termine metaforico, ſu cui non è appoggiato altro che delle altre metafore nate in conſeguenza della prima, per traſportare la coſa dalla mente alla fantaſia. Per altro laſciando la metafora non vo' dir altro in ſoſtanza ſe non che gli uomini credono bene quello, che ſi trova per accidente accomodato a ciaſcuno, e quello ognuno ſtima accomodato a ſe, che ſi riferiſce più alla facoltà, che lo domina. Donde poi queſte facoltà naſcano, come agiſcano, è tanto difficile da aſſegnarſi, quanto la natura dell'animo, da cui naſcono e dell'organizzazione delle più minute parti del corpo, da cui dipendono in qualche parte. Ma io conſidero tutte queſte coſe come fenomeni, poſti i quali, poſſono ſpiegarſene molti altri con quella evidenza, che può averſi nelle coſe compoſte di molti elementi l'uno coll'altro in infinite maniere e proporzioni contemperati. Quanto allo Spinoſiſmo, s'egli ſi trova dentro, vi ſi trova come lo Stoiciſmo e l'Epicureiſmo, e tutte le altre ſtravaganze de' Filoſofi. Ma dovrebbe chiamarſi piuttoſto Parmenidiſmo per la ſteſſa ragione, per cui non ſi chiama l'Epicureiſmo Lucrezianiſmo, perchè Lucrezio l'à profeſſato dopo. Perchè denominare da Spinoſa ſentenze nate tanti ſecoli prima di lui? Quando non foſſe per conciliare dell' orrore alla ſentenza dal nome di un autore eſoſo. *Sed non erat his locus*, come neppure lo era, perchè voi perdeſte la voſtra dolcezza naturale ſu queſto punto. A cenſure di queſta ſorte ſi riſponde con un ſorriſo. Ma l'amor voſtro vi facea temere qualche coſa di peggio, ſentendo un'accuſa fatta però da uno, che ſe à cervello, o qualche opinione di ſe, non aveva letto quello che accuſava.

OPE-

OPERA EDITA

Jacobi Stellini e Congregatione Somaſchenſi in Patavino Gymnaſio Ethices olim Profeſſoris opera omnia. Volomina IV. Patavii apud Jo. Baptiſtam Penadam in 4. *I. & II. Volumen edita ſunt an. 1778., III. & IV. anno qui conſecutus eſt. I. continet & ea, ſi praelectiones duas exceperis, quarum ſupra mentionem fecimus, quae per ſe antea vulgaverat Stellinius, ſcilicet orationem* pro ethica, *commentariolum* de ethicae tradendae ratione, & *librum* de ortu & progreſſu morum, *qui primum editus fuit an.* 1740. *Poſt haec quatuor volumina alia e Penada typis impreſſa fuerunt, quae ad Stellinium pertinent. Edidit enim* 1781.

Opere ſacre ſulla Paſſione, ſull' Eucariſtia, ſull' imitazione della vita di G. C., ſull' utilità del ritiro, conſiderazione di altri miſterj, *cum oratiunculis quibuſdam Latinis varii argumenti*.

Sonetti, canzoni, verſi ſciolti, ode XXII. di Pindaro tradotte, e illuſtrate. *Continet etiam volumen carmina tum Graeca tum Latina, quae compoſuerat Stellinius, editumque fuit an.* 1782.

Opuſculi matematici 1782.

Praefatio lucubrationum ethicarum liber ſingularis 1783.

Il Parmenide di Platone compendiato colle correzioni della verſione del Serrano e colle oſſervazioni critiche all' illuſtrazione dell' Ab. Ant. Conti 1783. *Volumen iſtud habet etiam opuſcula varia ad medicinam, ad poeticam, ad oratoriam & criticen pertinentia.*

Lettere erudite, ſcientifiche e familiari 1784.

Digitized by Google

HIERONYMUS FERRIUS

ANGELO FABRONIO S. P. D.

SI quis alius, qui memoria noſtra floruerit, inter excellentes ſaeculi viros locum merito tenere poſſit, is eſt profecto Camillus Zampierius Cornelienſis, quo in uno et multorum humanitatem ſcribendique elegantiam, et in agendo prudentiam, et morum probitatem religionemque ſummam, qui agnoverint, ſuſpexerint omnes. Ego certe homine uſus familiariſſime annos LX. amplius illud profiteri non dubitem, neque feſtiviorem, neque modeſtiorem, itemque caſtigatiorem comperiſſe alium. Habes vitam feriis autumnalibus ſi non eo ſtilo, quo tu, candide tamen ſcriptam et vere; quae ſi per te exierit, poterit fortaſſe ſociarum gratia non ita brevi ſe interituram ſperare. Vale, et quod facis, bonarum litterarum hiſtoriam artiumque juva et orna.

Ferraria VIII. Kal. Majas MDCCLXXXV.

Digitized by Google

CAMILLUS ZAMPIERIUS

INter eos non paucos, qui memoria noſtra ſcribendi laude fecerunt, ut ſaeculo XVI. non invideremus, video Camillum Zampierium Cornelienſem ita excelluiſſe, ut ſi non principem locum, certe ſummum tenuerit. Nactus ſiquidem ingenium cum ad excogitandum acre, tum ad ornandum promptum ac facile, ſic et domi et foris excoluit, ut omne humanitatis genus unus maxime complexus eſſe videatur. Incendebatur ad litterarum politiorum gloriam cum Antonii patrui voce et exemplo, tum eorum praeceptis et aemulatione, apud quos et quibuscum pueritiam ultimam egerat, adoleſcentiaeque ineuntis parte poſita, ea ſapientiae fundamenta jecit, quibus poſtea eloquentiae germanae ſubſtructio caput tantopere extulit. Acceſſerat loci nobilitas, qui ſtimulos adderet neque ſineret in tanta docentium dignitate, diſcentiumque frequentia

punctum temporis remorari : Bononiam dico omnium doctrinarum parentem et altricem, qua in civitate annos plures verſatus, quidquid ad ſcientiarum artiumque robur et decus perhibent Athenas Graecia ab univerſa confluxiſſe, non una ex parte collatum gratulari poterat et admirari ; praeſertim vero poetarum facultatem, quae, ſaeculi proximi barbarie deleta, ad priſtinum ſplendorem maximis itineribus contendebat. Fuerat illa ſive rerum humanarum viciſſitudine, ſive judiciorum labe calamitas Italiae fere cunctae communis, ut dum volunt noſtri nova conſectari, neque Graecorum, neque Latinorum ſorte contenti, quorum veſtigiis ſuperioribus temporibus inſiſtentes ad invidiam usque praeſtitere, malunt vias facere, quam ab omni antiquitate celebratas terere ; ad inanitatem, ad luxuriam, ad frigus, ad tumorem non modo turpiter deflexerint, ſed praecipites ſe ferri paſſi tot bona tantis majorum laboribus parta, contagionis quadam perverſitate non amiſerint, ſed penitus perdiderint. Bononienſes ipſi publicae corruptelae damna ſenſerant graviſſima, qui A-

chillinios et Pretios habuerint auctores, quos prole adumbrarent vitioſiore, eo credo fato, ut hominum, qui conſecuti ſunt, major extaret induſtria, quorum ſtudio factum, ut in viam redeuntes, vel primi, vel inter primos, duce potiſſimum Urſio, litteras, ſqualore deterſo, ab interitu vindicaverint. Eo in animorum aeſtu, quo ad optima quaeque ferrentur ingenia, difficile eſt dictu, quanta cupiditate ad celebritatem exarſerit Zampierius. Conjunxerat ſe cum Zannottis et Manfrediis, quorum nomina longe lateque clara: nec minus obſtrictos habuit Ghedinios, Fabrios, Puteos morum ſtudiorumque ſimilitudine, quin ita obſervavit et coluit, ut mors ipſa loco diviſos ne benevolentia quidem viderit disjunctos. Hos dum amat, conſulit, aemulatur, brevi effecit, ut ſi non ſemper rerum reconditiorum cognitione attingeret, proxime ſit aſſecutus: carminis vero condendi arte, varietate, affluentia aequaret ſaepe, interdum, abſit verbo invidia, ſuperaret. Plane ſi Franciſcum tollas, cui ego pares paucos novi, ſive Latine, ſive Thuſce, ſive ſoluta, ſive ligata

numeris oratione vellet ſcribere ; quem cum Corneliense eorum , quos dixi , univerſa poeſeos ratione conferam , praeſertim Latinorum , cujus gentis humaniſſimae provincias viſus eſt omnes non quaſi otiandi gratia percurrere , ſed tanquam qui negotiaturus eſt , curioſius peragrare voluiſſe , non ita facile invenerim . Multus fuerat in Latinis ; utque Ciceronem ſibi propoſuerat, in quo , veluti in portu, conquieſceret , ſive epiſtolas , ſive conciones , ſive vitas , ſive quid aliud commentaretur , ita Catullum in primis adamavit , quem auctorem haberet in carmine . Plautum , Terentium tanquam adjutores ſibi adſcitos voluit, quibus miniſtrantibus Tulliano in fundo inaedificaret . Hendecasyllabis , elegis primum , ita refert , ut totus in illo pendeat; illaque tria * , quae in Catulliana imitatione ante oculos habenda pronunciavit , ſiquidem Catulliani et dici et eſſe volumus , quaſi in ſuccum et in ſanguinem converterit ; quare et urbane adinveniret omnia , et ſcite ac feſtive ſingula coloraret, et molliter ac facete

* Videſis ad carminum libros V. praefationem pag. IX.

non ſine mirifica ea comprehenſione, quae Catulli unius propria concluderet. Epigrammate ita Veronenſem purum putum exprimit, ut quem cum eo comparem, vix aut ne vix quidem habeam. Legant, qui dubitant, juvenilia. Non aliter enim grandior natu erat ea ſolitus nominare, quae ſubito calore raptus genere in illo amatorio ſobrio ac venuſto fuderat, et ſententiae huic noſtrae non aderit modo, ſed ultro ſe inſcribet. Nonnulla maturioris quoque ſunt aetatis ſale Horatiano reſperſa, ſine felle tamen et dicacitate, a quo vitio ſive indolis bonitate, ſive educationis bono longiſſime abſuit. Qui guſtaverit, non dubito quin lepore et urbanitate multis anteponat. Id autem ut non ita difficulter faceret, praeter naturae adjumenta, quorum nullis caruit, lectione, animadverſione, exercitatione fuerat conſecutus, multumque ſe debere fatebatur conſuetudini, qua comicis duobus usus eſt; quos non domeſticos, ſed ſive peregrinaretur, ſive ruſticaretur, ſive quid aliud faceret, contubernales adhibuit ſemper et convictores. Teſtis quisquis intimum habuit vel hoſpitii lege,

vel itineris ſocietate. Quo contubernio illud obtinuerat, ut quidquid vellet, Latine diceret quam facillime. Dum autem ad ſcripturam refert, non ſemper praeſtaret ita in carmine, ut aequabiliter flueret uſquequaque, neque quid humile excideret et abjectum, quodque ſcenam interdum non redoleret. Id ei contigiſſe in elegia ſunt, qui notaverint, in qua nollent ita Plautinum, ut Catullianus aliquando eſſe deſierit. Ceteris in verſibus ſic incedit, ut poetae nobilitatem non deſideres. Pauca habemus ſoluta, non quo parum eo genere ſit delectatus: multa enim ſcripſit, epiſtolas praecipue neque adſcito, ſed naturali ſtilo magni faciendas; at paucas ſelegit, quibus amicis, opinor, vellet potius gratum facere, quam eruditionis laudem aucupari: quod ſine dubio potuiſſet, ſi illa, quae ad Academicos ſuos et extraneos diſſeruit non raro et ſententioſe, voluiſſet emittere. Scimus vitas eorum, qui poſt Manzonianas Cornelienſibus Epiſcopi praefuere, deſcriptas reliquiſſe. Quae omnia Latine. Longe plura Italo ſermone, quo plurimum valuit, adhibitis in conſilium probatioribus

ſcriptoribus, quibus, ſiqua alia natio, abundat noſtra: etſi non ita multi legant, et in rem ſuam conferant. Mihi ſane ſcriptione familiari ſic eminet, ut litteras qui ultro citroque miſsas colligeret, delectasque publici juris faceret, hominem ſaepius deſideraverim, quo non pueri uni, ſed plerique omnes haberent in quem inſpicerent ſequerenturque, ſi modo noſtri eſſe vellent, neque peregrini potius, ut neutri denique fierent. Quam rem ſiquis facere inſtituerit, optimorum, quibuscum amiciſſime vixit, opibus ſpartam hanc ornare maxime poſſit: extant enim volumina apud heredes diſpoſita epiſtolarum, quas ipſe ab unoquoque acceperat frequentiſſimas, quibus (mirum!) quantum ad linguam locupletandam, ad recte judicandum, ad temporum, litterarumque hiſtoriam illuſtrandam proficerent, qui quo ordine natura voluerit, nos ſequentur. Redeo ad verſus, quorum gratia, ſive Anacreontis venuſtates ad nos lepidiſſimus revocaret, ſive Pindari immenſitatem provocaret, ſive totus ſuus eſſet, famam ſibi vulgatiorem conciliavit. De quibus plura dicerem, niſi in manibus eſſent.

Illud non eſt praetereundum, ludicra in dictione, ſalſus et facetus qui erat, Bernianis proxime acceſſiſſe. Indignabatur quidquid abſolutum quoque in genere non eſſet. Hinc oderat populare et plebejum neſcio quid dicteriis et conviciis refertum, quod multos habet ſectatores, neque eos vulgares; bellos ſibi et beatos, ſi ſcurrilibus, hiſtrionum more, ſua infarciant putidiſſime. Totum aliud Zampierianum, quo rivalem ſive verum, ſive fictum non minus acriter, quam ingenioſe perſtringit. Dixeris ſatyricum, genere quodam intermedio illius, quo ruſticos amores Florentini, alterius participe, quo Polyphemi obtrectantis inſanias expreſſerant noſtri; niſi jocus identidem ſe ſe proderet non ſine aculeo, maledicto et contumelia ſemota. Eo fere modo Pygmaliona ſuum perſecutus eſt Flaminius, quem civem, ſupra quam dici poteſt, muſis omnibus probatum, credo prae oculis habuiſſe Zampierium, quodque ille modis Latinis, ipſum Thuſcis, jocoſe potius, quam vere chartis illeviſſe. *Sed haec prius fuere*. Formarum harum quotidianarum, aetate jam ingraveſcente, pertaeſus ſe totum ad altiora con-

verterat. Levia ſibi videbantur, quae ceteroquin tanti faceret quisque, nec niſi naenias et ineptias appellabat, quibus primum venerat in ora hominum. Aſſidua librorum ſacrorum lectione, a qua nullo unquam tempore abhorruit, poſtremo vero ſemper in manibus habuit, et Graeca et Latina non ea tandem eſſe ſtatuebat, quae cum Hebraeis commiſſa ſi non ſorderent, certe multum decoris non amitterent et venuſtatis. Hinc Prophetarum granditate aſſuefactus ea una celebrare et in caelum tollere, mirarique ſe ad multam aetatem humilioribus diſtentum ad haec operam ſuam non contuliſſe, quae jure optimo divina nominarentur, quandoquidem divino afflata numine, ſupernaque mirum in modum nobilitata ſapientia. Rerum itaque ſublimiorum amore inflammatus duo aggreſſus eſt, quae etſi nulla alia condidiſſet (condiderat autem plurima) ſibi veram et ſolidam gloriam, nullaque perituram die parerent. Primum cogitavit de Jobo, fortaſſe primus Italorum, quanquam unus et alter, dum feſtinat lente Cornelienſis, praeiverint. Deinde de Tobia, in quo non habuit, quos

ſciam, competitores. Quam inter ceteros emineat Jobus et rei totius compoſitione, et verborum ſplendore et ſententiarum gravitate et ſimilitudinum evidentia, neminem eſſe arbitror, qui ignoret. Eos attulit ſpiritus quisquis ille fuit, qui memoriae illa porro mirabilia tradidit, ut Homerus ipſe cum homine collatus Dares fiat cum Entello congreſſus; neque Virgilius, contra ſtet, nulli majeſtate dicendi ſecundus. Eſt qui neget? Equi deſcriptionem adeat iis naturae artisque coloribus pictam, ut tantum Graecos poſt ſe relinquat et Latinos, quantum terrena haec et caduca, ſi cum caeleſtibus et aeternis comparemus, decolorata appareant et evaueſcant. Opus id generis reddere ſe poſſe credidit Camillus, et revera reddidit, non ut fidus interpres, verbum verbo reddens, ſed ut poeta, qui nihil velit de alieno detractum, nihil ab auctoris mente abſonum velit additum, ſed Italis ornamentis ita conveſtiat omnia, ut qui legerit rerum divinitate commotus poeticae feſtivitatis gratia irretitum ſe ſentiat, et quo progreditur magis, eo plura deſideret, et ad exitum

avide ſic properet, ut ne citius deferatur, ſit quod pertimeſcat. Id ut aſſequeretur factum miro reddentis artificio. Non enim nude et ſimpliciter tranſtulit, ſed ad leges poematis diſtinxit; quod dum facit, et locum aperit induſtriae, et operi novas faces accendit, quo clarius ſpectantium oculis ſe ſe praebeat. Nam ſive partes nectit et componit, ſive capita in libros dividit, ſive digreſſus modo ſcriptorem tuetur, modo doctrina illuminat, modo narratiunculis e re ipſa ſuborientibus legentem delectat, ita ſingula perbelle apponit, jungit, accommodat, effingit, ut unum illud fiat, quod initio propoſuerat: Providentia divina cuncta ſapientiſſime gubernari; quae dum ſanctum hominem tot tantisque aerumnis preſſum, patientem exhibet et conſtantem; eumdemque regio de gradu dejectum, inque ſummam calamitatem nulla ſui ipſius culpa prolapſum, dum ad illuſtriorem fortunam mirabili rerum converſione traducit; id demum facere aperte viſa eſt, ut boni rebus in adverſis animum ſumant, neque abjici ſe ſinant; mali rurſus, ſi fieri poteſt, reſipiſcant, Deumque naturam hanc

mundi adminiſtrantem agnoſcant, vereanturque. Longior ſim, ſi quae detulit de ſuo, velim indicare. Ut enim nihil dicam de prooemiis ita concinnis et appoſitis, ut ſi cetera deſint, quae abunde ſuppetunt, vel hoc Areoſtium ſuum repraeſentaſſe dici poſſit: quis non avidiſſime legat, quae de uxore, frugi providaque femina et conſtantiae et amoris plena, quae una ſcilicet et matris et patrisfamilias vice functa tantum efficere potuit, ut maritus ſi non ſolutus, domeſticis curis recreatus tot illa miracula promeret; quae de Rezzonico viro ſanctiſſimo Pontifice renunciato; quae de bello Germaniam tot annos vaſtante; quae de Gallorum claſſe ad portus ipſius fauces disjecta; quae de Ulyſſipone, terrae motibus undique conquaſſantibus, proſtrata; quae de pace, Sardorum Rege ſequeſtre, reduce aliisque ſexcentis tam bene diſpoſitis, ut non precario vocata, ſed ultro oblata affuiſſe, nemo non affirmaverit? Praeclara, quae de Volſio, altero Britannorum Epaminonda, quae de Laudono, quae de Carolo Borbonio in Hiſpaniam remigrante, quae de caelitibus homini cuique re-

gendo Dei benignitate aſſignatis, quorum nulla non apta inter ſe et cum poemate cohaerentia, quae res ingenii et ſagacitatis teſtis plane locupletiſſima. Quisquis vero libri noni operisque totius concluſionem legerit, qualis et quantus in imitando fuerit, intellexerit. Prodierat Romae Jobi interpretatio, Rezzani opera ſplendida enimvero omnique laude poetica cumulata, quam ubi legit Zampierius, ita animum deſponderat, ut ſuam medio in curſu interruptam dimittere cogitaverit. Amici reſtiterunt, neque tulere tanti hominis labores tanta cum expectatione ex improviſo intercidere, hortationibusque una ſimul collatis fecerunt, ut rem bene auſpicatam ad umbilicum perduceret. Cum igitur ad opus pene intermiſſum manum admoveret, illa praefatus eſt, quae et ſcriptoris modeſtiam et virorum praeſtantium auctoritatem prae ſe ferrent, quibus ſuaſoribus in arenam iterum prodiret. Haec dum facit, illud ipſum facit, quod Ferrarienſis ad poematis ſui finem. Idem librum dimiſſurus, quem Andreae Corſinio Muſarum duci deſtinaverat, voluit cum Ho-

ratio dimittere. Qui utraque contulerit, imitationis probabilis exempla, quae ſequatur, habebit. Venio ad Tobiam, quem non octonis verſibus, uti Jobum, ſed hendecasyllabis, quos ſolutos dicimus ea de cauſſa, quod nulla vocum ſimiliter deſinentium lege obligatos, voluit mandare. Qui attenderit, quid ad hiſtoriam illam divinam explicandam ſibi noſter propoſuerit attuleritque, et ſcribentis doctrinam et voluntatem laudaverit, qui de puerili inſtitutione benemeritus ſit. Non enim rem unam ipſe jejune et exiliter ſibi reddendam cogitavit, quod nihilo tamen ſecius valde fuerat commendandum, ſed ita ornare et fulcire, ut haberemus quae Genevenſis civis praeceptionibus multo captioſiſſimis objiceremus. Quid enim aliud Aemilio illo ſuo homo nequam et improbus voluerat, niſi, religione ſublata, omnem recte vivendi legem tollere, cunctaque inſanis prurientis naturae motibus permittere? Quae eo perniciosiora, quo eloquentiae ambitioſioris lenociniis unde unde perlita ſe ſe facilius auribus adhuc tenellis obtruderent, ſingulaque majorum inſtitutis

tam

tam bene ſanćteque inducta callidiſſime contaminarent. Obſtitit Zampierius, et cum carminis elegantia ut alliceret curavit, tum Tobia optimo propoſito, vi tanta hoſtis infenſiſſimi ſophiſmata convellit refellitque, ut machinationes omnes funditus everterit, et parentes et liberos in officio dum continet, et moribus et pietati ſanctiſſime eſſet proviſum. Res eſt magna cum bonorum doctorumque gratulatione excepta, Pontificisque Pii approbatione, litteris honorifice datis, conſecrata. Herculanio Senatori Bononienſi miſit formis elegantibus Calari credita. Poeta nimirum, potentiorum atriis neglectis, poetam adire voluit, tamque gratum et munificum eſt expertus, ut beatiorum liberalitatem non deſideraverit. Homini ſic adhaeſerat annis multis ante, ut autumnali tempore, ſe urbanis turbis ſurripiens, rus viſere conſueſſet, ſecumque honeſtiſſimo in otio dies aliquot poneret, adeoque in ſuis habuit, ut diuturniore morbo confectus, jam jam diſceſſurus ex vita vacillantibus litterulis amoris et fiduciae plenis extremum compellaverit, ſuaque ſuoſque parenti tanquam alteri commendave-

rit. Rebus tot tantisque editis, Italia tota celebratus, poterat jam quieſcere. Voluit tamen, quae toto vitae curſu fuerat ſolertia et in amicos indulgentia, Franciſci Carbonii Rhetoris, Poetae, et in Calaritano Athenaeo ſocii flagitationibus iteratis illud poſtremum concedere, ut partem alteram carminum contraheret, et petenti totam permitteret. Quod dum praeſtat, delectum habuit accurate, nec exire quid eſt paſſus, quod et ipſe, et ii, quibus ſe crederet, cenſores non probaſſet; multis rejectis, neque paucis in ignem conjectis, ne poſt obitum edentium intemperantia rebus ſi non inutilibus, certe mediocribus, quod amico non ita pridem contigiſſe indoluerat, onerarentur ingenia non ſine auctoris nota. Apparuerunt iisdem e praelis in Joannis Amatii nomine, neque ego utriusque honeſtati melius conſultum crediderim, quam ſi nonnulla Carbonii, cui totum ſe dederat, de epiſtola delibaverim, qua viro principi inſcripſerat. Ecce tibi, inquit, vates ille tuus ſenili gravitate ſpectandus, neque languore, neque rugis infuſcata, eoque robore ſenſuque animi vigente, quo in

litterarum plauſum ierat, anteqam ego, antequam tu in hanc vitae lucem prodiiſſemus. Ecce tibi et Thuſco et Latino apparatior comitatu tantaque rerum graviorum et ſententiarum dignitate ſtipatus dum mores format et inſtruit, ut philoſophorum ratiocinatio quanta quanta eſt nunquam tantopere valuerit ad faſtidientium et nauſeantium attentionem ſibi comparandam. Exſultat hinc geſtiitque librum obtuliſſe aurea temporum optimorum elegantia florentem, qui de manibus otioſorum eas tandem unus extorqueat inſolenti luxurie diffluentes fabellas, quae poeſi, ad Dei Deique ſimilium celebrationem nata, intemperanter abutentes nil aliud ſonent, niſi amores nugasque canoras. Quare in patroni bibliotheca ſelectiſſima locum honeſtiorem ſit habiturus perinde ac habeat in exiſtimatione. Reapſe Itala pleraque argumento ſe ſatis probant; neque ſecus actum de Latinis, ad quae acceſſere epiſtolae ſelectae, paucae ille quidem, ſed ut Latinitatis, ita amicitiae vindices religioſiſſimae. Hactenus de ſtudiis: quae ſequuntur, breviter de republica et de moribus. Ma-

ture ad rempublicam acceſſerat patrui recenti adhuc memoria commendatus. Ita vero adminiſtravit, ut primos dum ordines ducit, rebus multis juverit, pluribus amplificaverit, plurimis confirmaverit. Valebat multum conſilio; eaque erat in negotiis gerendis prudentia, ut fere nihil referret, quod Senatus non probaret, temporibusque difficillimis, Zampierio duce, non expediret. Quae ut obtineret, et gratia et auctoritate conſequebatur. Nemo enim Aemiliae provinciae praeerat, quin et cognitum haberet, ſibique benevolum et amicum vellet. Bononiettiis, Stupaniis, Borromeis, Valentiis carus; Oddiis acceptiſſimus, quos et frequens adiret cum Banditio Ferrioque amicis et familiariter uteretur. Neque in urbe Roma, in qua Elephantutio litibus judicandis primum XII-viro, deinde inter Patres merito relato hoſpite uſus eſt amantiſſimo, minus nobilis; cui et ad Benedictum XIV. faciles paterent aditus, et ſucceſſoribus eſſet quam notus; quibus annuentibus facile fieret, ut ſuis prodeſſe vellet et poſſet plurimum. Non enim nominis celebritas ſibi ingenio et labore con-

firmata una ſolum aderat. Morum integritas in primis commendabat, quae tanta fuit, ut ceteris ſui ordinis exemplo eſſet. Religio ſumma, pietas in Deum maxima, quam et verbis et factis quisque agnoſceret, et ſuam vellet facere. Euchariſtiam, extremum Jesu abeuntis pignus; divinis proſequebatur honoribus; neque diem ullam elabi facile patiebatur, quin humi ſtratus altaque cogitatione defixus, multa non ſine prece, adoraturus inviſeret. Die, quo naturae conceſſit, bis cibo illo caeleſti eſt recreatus. Mane ut pietati obſecundaret ſuae, veſpere ut ſe in viam daret alacrior et inſtructior, quam rem ſunt qui religioni tribuant; nec immerito. Virginem matrem colebat ut cum maxime, neque Joſepho ſe minus deditum praebuit, quorum uni valetudinem jam deſperatam referebat acceptam, alteri plura ſe debere palam eſt profeſſus, utrisque vero, ut credibile eſt, aſſidentibus, diem ſupremum pie ſancteque obiit, annos natus LXXXII. menſes V. dies XVIII. Qui talis extitit in ſuperos, non poterat non gratus et memor eſſe in ſuos, ſive generis,

ſive amicitiae, ſive ſtudiorum conjunctione devinctos. Conjugem tanquam animae partem alteram amavit. Paſſim ſuis in lucubrationibus feminae lectiſſimae laudationes occurrunt, quae facient, ut dum viri vixerint carmina (vivent autem dum bonae loquentur litterae) Mazziae nomen ſuperet immortale. Filios ita dilexit, ut caſtigatos vellet, et quantum in ſe erat excultos, qua in re Benedicti ſenſit beneficium, qui patris ea liberorum turba circumſepti ſupplicibus verſiculis permotus uni locum collegio in Piceno patere voluit; alteri de ſuo quantum ad liberaliter inſtituendum eſſet ſatis subminiſtravit. Extant phaleucii in obitum filioli, quem in paternae facultatis ſpem alebat Bononiae, neque meminiſſe poterat, quin quantum de ingenio et pueri indole ſibi ſpoponderit non ſine lacrimis praedicaret. Filias alias Deo obtulit, alias honeſte nuptui collocavit. Patrimonium, quod acceperat, intactum conſervavit. Villam genio et amicis e ſolo aedificavit, tum ſibi beatus, cum quos amabat hoſpites haberet. Nihil eo in convictu amabilius, nihil jucundius; a quo diſceres ipſo in

joco. Sua libenter cum ſuis communicare; quid ſentirent audire; multa eorum judicio facere; tantum cuique tribuere, quantum nunquam ſibi. Hinc factum, ut quos probaſſet et amaſſet, amicitiae cultor obſervantiſſimus, perpetuo in aere suo cenſuerit. Qui Zampieriana legerit, intelliget profecto quantorum virorum clientela floruerit, ut nemo, modo litteris delectaretur, Zampierium ut ſibi conjunctum haberet, non optaverit. Quam ob rem ſui deſiderium maximum reliquit, neque mortuo praecones defuerunt, qui vivus fautores omnes bonos habuit. Certe et Arcades ſignum poſuere, et cives non unis publice collaudatum honeſtaverunt, et filii marmorea effigie cum epigrammate, quod forte fortuna inter ſchedas ſuperſtites eſt repertum, parentis optimi memoriae conſuluere. Quos inter ſi locum aliquem nobis poſteritas dederit, nunquam poenituerit litteris non ea, quae amor quadraginta annos amplius mutuis auctus officiis expreſſerit, ſed quae veritatis ſtudium poſtularet, conſignaſſe.

Digitized by Google

INDEX

VITARUM QUAE IN HOC VOLUMINE XII. CONTINENTUR.

Jo. Baptiſta Morgagnius pag. 7.

Jo. Polenius 66.

Jacobus Facciolatus 118.

Hercules Franciſcus Dandinius 141.

Camillus Silveſtrius 177.

Julius Pontedera 205.

Euſtachius Zanottus 241.

Jo. de Vico 279.

Jacobus Stellinius 318.

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN HOC XII. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ACademia Quirinorum 151.
---- Philomatorum 152.
Adanſonii judicium de Pontedera 214.
Aemilianae epiſtolae 55.
Albertinius Franciſcus 9. 18.
Alembertius confutatus 113. 261.
Algarottus 246.
Alpinus Proſperus 34.
Anatome quantum a Morgagnio promota 5. 13.
Anni veterum illuſtrati 223.
Antiquitates Romanae et Graecae 91.
Ariſtoteles 195. 274. 310. 329. 334. 349.

B

BAco a Verulamio 274. 286. 289. 290. 314.
Bailius 252.
Baldus Bernardinus 87.
Bandinius Angelus Maria 90.
Barbadicus Cardinalis 118.
----- Hieronymus 340.
Beccarius Bartholomaeus 12. 40 244.
Benedictus XIV. 47. 98. 165. 372. 374.
Bernoullius Jo. 69.
---- Nicolaus 74.
Blancus Jo. Baptiſta 21. 24.
Blondus Flavius 35.
Bologninus Angelus 34.
Bonettus Theophilus 5. 38.
Bononienſes patriae amantes 238.
Boncompagnius Ignatius 268
Botanicae hiſtoria et vices 195. et ſeq.
Brawinius 70.
Brixius Caeſar 148.
Burmannus Petrus 31.

C

CAeſarottus Melchior 118.
Caeſenae hiſtoria 148.
Caillius 253.
Caniſius Henricus 280.
Caraffa Antonius 289.
Carbonius Franciſcus 369. 370.
Carolus VI. Caeſar 47.
----- Emmanuel Sardiniae Rex 47.
---- Neap. Rex 301. 366.
Carteſius 274. 282.
Caſimius Jacobus 94. 254.
Caſtellius Benedictus 80.
Caſae Galateus in Latinum verſus 145.
Catulli imitatio 359.
Cecchinius Alexander 150.
Celſi editio 31.
Clemens XI. 28. 47. 289.
-------- XII. 100. 153.
------- XIII. 47. 140. 164. 366.
Cleopatra quo genere mortis obierit 30.
Clericus Jo. 292. 316.

Columella illuſtratus 227.
Cornelienſium Epiſcoporum vitae 360.
Cornelius Cardinalis 119.
Corſinius Laur. Card. 151.
----- Andreas Card. 367.

D

DAndinius Hercules Fran. 125. ejus ortus 141. quomodo Romae inſtitutus 142. Galateum in Latinum vertit 145. Dialogos de officiis ſcribit 156. ejus elegantia 145. 136. 162. patriam hiſtoriam deſcribit 148. quam a ſuis honoratus 149. 153. 168. quantum in eloquentia valeret 150. quam in poeſi 151. de ratione ſtudiorum opus conficit 154. ejus de Forenſi ſcribendi ratione dialogus 158. de juſtitia liber 159. Patavinus doctor creatur 160. ejus docendi ratio 161. opus de ſervitutibus praediorum 162 amici 163. 164. mores 166. mors 167. opera 169.
Danielius Franciſcus 302.
Diaconus Petrus 87.
Dianae Epheſiae Templum 89.

E

ELephantutius Card. 372.
Emaldius Thomas 165.
Emus Jo. 319.
----- Aloyſius 319.
----- Angelus 319.
Epictetus 313
Epicurus defenſus 310.
Echites ortus, hiſtoria et vices 307. et ſeq.
Eugenii Principis laudes 151.
Evangelius Antonius 345.

F

FAcciolatus Jacobus 33. ejus ortus et educatio 118. de Calepino edendo cogitat 120. de Schrevelio 121. de Italica ortographia ib. ejus oratio de grammatica 123. ceterae ejus orationes 124. Logicae et conſoluit 129. hiſtoria Patavini Gymnaſii ſcribendam ſuſcipit 126. ejus ingenium poeticum 127. ejus ſtilus 128 de civis officiis opus ſcribit ib. quam brevitatis amans 129. quam honoratus 130. ejus mores et mors 131. opera 132. de ſcribendis vitis ejus judicium 137.
Fantonius Jo. 24.
Ferrius Hieronymus 354. 362.
Flaminius 362.
Forcellinius Aegidius 120. 121.
Forum Livii ejus antiquitas et merita 35. ibi quam honoratus Morgagnius 44.
Foſcarinius Marcus 46.
Fridericus II. Caeſar 302.
Friſius Paullus 269.
Fritiſchius Thomas 225.
Frontinus illuſtratus 85.
Frugonius Innocentius 212.

G

GAlilaeus 64. 112.
Gallus poeta 35.
Genuenſis Antonius 225.
Genevenſis philoſophus 368.
Gennarius Joſephus 50.
Geſnerus Jo. Matthia 221. 222. 228.
Giacomettus Jacobus 319.
Graevius Jo. Georgius 91.

Gravina Janus Vincentius 143
Grandius Guido 95.
Gronovius Jacobus 91.
Grotius Hugo 89. 290. 314.
Gulielminius Dominicus 17. 19. 35. 84. 263.
H
HAllerus Albertus 25. 46. ejus judicium de Pontedera 217.
Hamelius Pater 9.
Heisterus Laurentius 33. 46.
Herculanius Senator 360.
Hermannus Jacobus 74.
Hippocrates 195.
Hobbesius Thomas 315.
Horatiae familiae nummus 180
Hugenius Christianus 94.
I
JAcomellius Michael Angelus 112.
Jesuitae 100.
Job poema 364.
Josephus II. Caesar 45.
Inquietorum Bononiensis Academia 12.
Insulanus Alamannus 254.
Juvenalis illustratus 182.
K
KAlendarii Romani emendatio 100.
Keuckenius Rupertus 85.
L
LAmpredius Jo. Maria 272.
Lancisius Jo. Maria 21. 23. 25. 30.
Latina lingua defensa 112. et seq. ei quomodo consuluerit Facciolatus 121.
Laudonus 366.
Leibnitius 69. 70. 260. 275.
Lieutaudius Josephus 3.
Linnaeus ejus methodus 203.
Lockius Jo. 275. 316.
Lucinius Josephus 282.
Lusitaniae Rex 129.
M
MAchina Arithmetica 69.
Maffejus Scipio 90.
Malebranchius 275.
Manfredius Eustachius 12. 13. 84. 102. 244. 246. 357.
Manfredinius Fridericus 172.
Mangetus Jacobus 5. 21. 24.
Marcus Antoninus Caesar 313.
Marsilius Ferdinandus 245.
Marinonius Jacobus 83.
Martinellius Christinus 220.
Maupertuisius 95.
Meadius 101.
Mediceus Leopoldus 182.
Mercius Comes 342.
Meranius 78. 93.
Mercurialis Hieronymus 33.
Metastasius Petrus 112.
Metaphysicae historia et vices 273. et seq.
Michelius 218.
Morellius Jacobus 94.
Morgagnius Jo. Baptista reprehensus 3. 21. ejus vita 7. et seq. institutio 8. studia 10. 17. Academiae Inquietorum quomodo consulucrit 12. ejus adversaria anatomica 13. 22. 30. medicinam facit 18. docet Patavii 19. tabulas Eustachii illustrat 21. novis adversariis se ipsum defendit 21. 23. anatomes magister creatur 27.

de genere mortis Cleopatrae differit 30. Celſum et Samonicum illuſtrat 31. Columellam et Vegetium emendat 33. alia ad antiquitatem pertinentia ſcribit 34. Aemilianas epiſtolas edit 35. Gulielminii et Valſalvae vitas explicat 36. Valſalvae opus illuſtrat ib. et ſeq. de ſedibus et cauſis morborum opus edit 40. et ſeq. hujus laudes 42. quantis honoribus affectus 43. et ſeq. ejus virtutes 48. et ſeq. familia 50. mors 51. levitas reprehenſa 1. 52. opera 53.

N

Newtonus 71. 72. 82. 94. 276.
Noriſius Cardinalis 34.

O

Ottobonius Cardinalis 8.

P

Pappadopulus 126.
Paſchalius Blaſius 70.
Patavinae Academiae hiſtoria 127
Perellius Thomas 112.
Perſius illuſtratus 182.
Philoſophiae vices et poteſtas 59. et ſeq.
Pirellius Philippus 300.
Pius VI. 369.
Plato 281. 289. 310. 328. 334.
Platonici 313.
Plinius Secundus 220.
Pluvenius Petrus 34.
Plutarchus 47. 312. 330.
Poeſis vices 336.
Polenius Jo. 17. 34. ejus ortus et parentes 66. educatio 67. Doctor Patavinus creatur 68. ejus miſcellanea phyſica 69. Dialogus de vorticibus caeleſtibus 71. de phyſica quam benemeritus 73. 93. de matheſi 74. de aſtronomia 71. 75. 100. 101. 99. de optica 77. de hydroſtatica 79. et ſeq. de nautica 96 de phyſica experimentali 97. illuſtrat Frontinum 85. Vitruvium 86. et ſeq. de Dianae Epheſiae templo differit 89. de veteribus theatris 90. de obeliſco ib. antiquitates Romanas colligit 91. de terrae figura ſcribit 94. Academicus Pariſinus creatur 95 praemiis decoratur 96. et ſeq. Romam vocatur 98. honoratur 99. ejus mores 92. 103. honores et mors 105. opera 104. et ſeq.
Pontedera Julius 33. 91. ejus ortus 205. ſtudium in rem botanicam 206. et ſeq. de ea opus vulgat 207. ipſam Patavii docet 208. ejus docendae ratio 209. de ejus methodo quid judicandum 214. 217. rei ruſticae Scriptores illuſtrat 220. veterem chronologiam et aſtronomiam 223. ejus diſſertationes praemio affectae 229. mors et mores 231. opera 233.

Portia Jo. 279.
Potamon 312.
Praemia quomodo ſint diſtribuenda 159.
Puffendorfius Samoel 316.
R
Ezzanius 367.
Rhodigina hiſtoria 179.
Riccius Bartholomaeus 165.
Rocca Angelus 281.
Romani Geometriam non provexere 61. quam botanicea ſtudioſi 196.
S
Allangrius Albertus Henricus 91.
Samonici editio 31.
Sandrius Jacobus 9.
Seneca 312.
Sibiliatus Clemens 1. ejus opus pro Latina lingua 113.
Silveſtrius Camillus ejus ortus et ingenium 177. quam de patria meritus 179. quam antiquitatis ſtudioſus *ib.* Juvenalem et Perſium in Italicum vertit et illuſtrat 182. de chronologia ſcribit 185. ejus virtutes 186. et ſeq. mors 191.
Slopius Joſephus 256.
Socrates 310. 327. 334. 342.
Spallanzanius Lazzarus 307.
Spada Thereſia 236.
Stelliniua Jacobus 317. ejus ortus, educatio et ſtudia 318. ethices magiſter creatur 319. ejus de hac ſcientia ſcripta 320. et ſeq. ſcribendi ratio 331. 344. fama 341. mores 342. in poeſi praeſtantia 343. mors 344. quae fundamenta ethicea poſuerit 347. et ſeq.
Stancarius Victorius 12.
Stoicorum ſententiae 311.
Stratico Simeon 88.
Suareſius 280.
T
Heophraſtus 195.
Tobiae poema 368.
Torellius Joſephus 162.
Tournefortius ejus botanica methodus 200. quid ad eam addiderit Pontedera 209. et ſeq.
a Turre Jacobus 35.
---- Philippus 77. 181.
V
Alchius Jo. Georgius 128.
Valſalva Antonius Maria 9. 10 35., 36. et ſeq. 38.
Valliſnerius Antonius 19.
Verheyenius 22.
Vergeria Paulla 3. 50.
de Vico Jo. 277. ejus ortus 279. ejus philoſophica ſtudia 280. poetica 281. 288. mathematica et phyſica 282. orationes 283. liber de antiquiſſima Italorum ſapientia 286. de Antonii Caraffae vita 289. de univerſi juris principio 290. de conſtantia jurisprudentis 291. de ortu et progreſſu nationum 295. Regius hiſtoriographus creatur 301. moritur 304. ejus opera 305.
Vires vivae; quaeſtio de iis 82. 260.
Vitruvii aetas 34. opera il-

luſtrata 86 et ſeq.
Voſſius 366.
Urſius 357.
Vultejus Hermannus 280.
Vulpius Jo. Baptiſta 29. 33.

Z

Zampierius Camillus ejus ortus 355. ſtudia poetica 356. et ſeq. in ſcribendo elegantia 361. carmina juvenilia 362. de Job poema 366. de Tobia 368. carmina ſelectiora colligit 370. ejus mores et vitae ratio 372.
Zanottus Euſtachius ejus educatio 244. aſtronomiam excolit 247. ephemerides vulgat 249. Catalogum ſtellarum auget 250. ejus opus de linea meridiana Bononienſi 254. et ſeq. de Cometis 257. de proſpectiva 259. de corporum percuſſionibus 260. de hydroſtatica 261. ejus mores 265. et ſeq honores 269. mors 270.
—— Franciſcus Maria 38. 46. 244. 357.
—— Petrus 244.
Zanichellius Jo. 17.
Zeno Stoicus 311.

ERRATA			CORRIGE
Pag.	lin.		
181.	10.	Adrianenſis	Adrienſis

VA1 1551219

Digitized by Google

148.
7.
55.

Digitized by Google